



b. 22

DE  
**JURE JURANDO.**

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> PHILOSOPHICA,

QUAM

1784. 2.

PRAESIDE

*M. CAROLO GOTTLIEB  
STRAUSSIO*

PHIL. P. P. ORD. ET MAGNIF. SEN. BIBLIOTH.

D. XIX. M. AUG. A. R. S. MDCCCLXXXIV

CONTRA ADVERSARIOS

JOANNEM GOTTLIEB EHWALT, GED. S. L. C.

JOANNEM GODOFREDUM KLEEFELD, GED. S. L. C.

JOANNEM CHRISTIANUM SCHMIDT, GED. I. U. C.

IN

AUDITORIO MAXIMO


PUBLICE DEFENDET

BENJAMIN ERNESTUS SCHMIDT, GED. I. U. C.

STIPENDII FISCHERO-FERBERIANI ALUMNUS.

GEDANI,

TIPI DAN. LUDOV. WEDEL, MAGNIF. SENATUS  
ET ATHENAEI TYPOGRAPHI.



INCLYTAE  
REIPUBLICAE GEDANENSIS  
PER - MAGNIFICO SENATUI,  
PER - ILLUSTRI

S. R. M. BURGGRABIO,  
PER - MAGNIFICIS, MAGNIFICIS,  
GENEROSIS, MAXIMEQUE STRENUIS,  
PRAESIDI,  
PRO - PRAESIDI,  
PRAE - CONSULIBUS,  
CONSULIBUS,  
INPRIMIS

JOA. ERN. SCHMIDT,  
*GENITORI SUO CARISSIMO,*  
PATRIAEC PATRIBUS OPTIMIS,  
DE PUBLICA SALUTE MERITISSIMIS;  
*PRAENOBILISSIMIS,*  
*AMPLISSLIMIS, CONSULTISSIMIS,*  
DICASTERIORUM  
UTRIUSQUE CIVITATIS MEMBRIS,  
SENIORIBUS,  
CONSENIORIBUS,  
ASSESSORIBUS RELIQUIS,  
*JUSTITIAE ARBITRIS*  
LONGE GRAVISSIMIS, MERITISSIMISQUE;

UT

UT ET  
SUMME VENERABILI,  
CONSULTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,  
EXCELLENTISSIMIS, DOCTISSIMIS,  
GYMNASII PATRII  
PROFESSORIBUS,  
PRAECEPTORIBUS ET FAUTORIBUS  
SUIS OPTIMIS;  
NOBILISSIMIS, SPECTATISSIMIS,  
**CAROLO RENNER,**

ET  
**JAC. ERN. SCHUMANN,**

SECRETARIIS REIPUBLICAE GEDANENSIS

MERITISSIMIS;

NOBILISSIMIS, SPECTATISSIMIS

AD SACELLUM MARIANUM  
ANTISTITIBUS,  
SPLENDORE AC DIGNITATE CONSPICUIS;  
MAECENATIBUS,  
PATRONIS ATQUE FAUTORIBUS,  
MAXIME DEVENERANDIS ATQUE  
COLENDIS,

DISSERTATIONEM HANC IN SUI  
STUDIORUMQUE SUORUM  
COMMENDATIONEM SUB-  
MISSE DAT, DICAT, CON-  
SECRAT

**TANTORUM NOMINUM**

DEVINCTISSIMUS CULTOR  
**BENJAMIN ERNESTUS SCHMIDT.**



§. I.

Quanquam perplura jam, eaque eleganter satis et  
multa cum eruditione elaborata scripta exstant, qua<sup>I. Introduc-</sup>  
tio.  
locum de jurejurando fusiis pertractant: placuit ta-  
men eandem materiam in commentationis argumentum felige-  
re: tum, quod nondum reprehensum vidimus, qui post mes-  
sem ad spicilegium accessit, tum, quod operæ pretium esse  
statuimus, in rem, cuius usus in vita humana ingens sane est  
et manifestus, s<sup>e</sup>pius inquirere. Accedit, quod nuper adhuc  
varii generis lites, nondum profecto penitus s<sup>o</sup>pitate, de jura-  
mentis ortæ sunt; et passim insuper acerbæ quoque audiuntur  
querelæ de abuso juramentorum, nostra potissimum ætate ma-  
gis magisque invalescente. Lites autem illas recentiores, qui-  
bus non tam excitandis, quam renovandis tantum egregius  
Cl. et acutissimi Judæorum philosophi Mo<sup>s</sup>is nimirum Mendeli-  
dis libellus, cui titulum fecit: *Jerusalem oder über kirchliche*  
*Macht und Judenthum* occasionem dedit, non omnino quidem  
silentio prætermittat; sed passim potius et illas tangam; atta-  
men querelæ istius, frequentes juramentorum abusus spectan-  
tis, præcipue rationem habere mihi animus est; propterea que,  
omissis omnibus, qua non ad campum Philosophi, sed Theo-

A

logi

logi potius aut Jurisconsulti in hoc loco pertinent, in pertra-  
ctando scriptiunculae hujus argumento ita versari decreui, ut  
primum de natura juramenti, tam in genere, quam in specie  
differam; deinde jus hominis naturale jurejurando utendi, cu-  
ratus, examinem; tum potiores abusuum, qui jurando ple-  
rumque committi solent, fontes porro quæram; iisque inventis  
et monstratis, abusus denique ipsos, una cum malis, inde  
oriundis, consiliisque nonnullis indicem, quæ salutaria esse fla-  
tuo, si abusum istorum multitudo non augenda adhuc, sed  
extenuanda potius et imminuenda sit.

## §. 2.

*II. Tracta-  
tio.**1.) De na-  
tura jurisju-  
randi.**a) In genere.**ω) Defini-  
tio ejusdem.*

De juramentorum itaque abusibus potioribusque illorum  
fontibus exposituro, ante omnia vera jurisjurandi natura inte-  
riorque indoles, quatenus scilicet ex solo rationis lumine, neu-  
tiquam vero ex arbitriis hominum decretis nobis patescit, ge-  
neratim examinanda erit. Ista vero perspicue satis et commo-  
de per brevem hanc definitionem declaratur, qua omne jura-  
mentum, cum Cicerone (\*) affirmatio religiosa dicitur. Haud  
quidem ignoro, plerumque in ipsa jurisjurandi definitione,  
modum etiam et rationem, qua eadem haec assertio religiosa  
fiat, determinari, juramentaque ejusmodi assertiones religiosas  
vocari, quibus Numen ipsum veritatis testem petamus; si vero  
pejeratum sit, divina misericordia in posterum renunciemus,  
et insignem aliquam extraordinariamque iustitiae Dei ultricis  
poenam in nosmet ipsos deposcamus. Sed vereor sane ne falsa  
prosulsi aut superstitionis saltum fint, quæcumque in verbis hisce  
adjectis vel vere continentur, vel contineri tamen videntur.

Cum

\*) Off. III, 29.

Cum enim nihil omnino sit atque eveniat, quod non distinctissima et perfectissima ratione Deus cognoscat, propterea que nihil quoque detur, quo præ ceteris curatus intendo, in modum testium humanorum, Numen invitari queat; cum porro nemo mortalitatem propriæ, eidemque omnimoda, felicitati renunciare, aut sponte in perpetuam infelicitatem miseriamque consentire possit; quippe cum insito nobis naturæ instinctu ad felicitatis nostræ amorem atque studium, per omnem vitam ducamus: satis incongruum sane est, jusjurandum tanquam ejusmodi actum concipere, quo Deus hujus vel istius rei testis principie expeti, et homo insatiabilem semper felicitatis appetitum in intimo cordis sinu fovens, benigitatis divinæ, unicus hujus omnis prosperitatis humanæ fontis, effectus sibi beneficos, ipse, sub perjurii conditione, in perpetuum deprecari possit. Ac eadem prorsus aut similis saltem inconvenientia in tertio isto latet, quod religiosi hujus actus constitutivum esse vulgo dicitur, et in solemnî ad vindictam Numinis provocacione, sub conditione falsiloquii facta, plerumque ponitur. Ut enim silentio prætermittam, superstitionem omnino opinionem esse, qua huic jurisjurandi descriptionis parti subest, et pœnam divinam, eandemque extraordinariam, in oculos hominum præcipue incurrentem et præ ceteris gravem atque severam perjurii scelus immediate subsequi, sumit: hominem tamen pejerantem, cum ejusmodi vi et potestate prædictum sibi singulare, qua decreta divina de fatis humanis, cum cunctis eventibus mundanis nexu arctissimo copulatis, immutare possit, non absconum tantum, sed impossibile etiam est. Qui enim fieri possit, ut perjurus sua ad vindictam Numinis provocatione decreta divina immutare possit; si Deus sapientissimus voluerit,

et ab omni æternitate jam decreverit et stabiliverit, ut perjurii scelus, gravissimas ob caussas durante terrena delinquentis vita, vel prouersus impune maneat, vel non adeo conspicua saltem et formidolosa ratione puniatur? Hæc itaque perpendenti, per brevis ista jurisjurandi definitio, quam in initio §phi commen-  
davimus, sine dubio aliis prolixioribus, licet vulgo receptis, preferenda videbitur; dummodo verum singuli, quod conti-  
net, momenti sensum assequatur, riteque percipiat. Ut ita-  
que cuivis plana fiat ac perspicua hæc definitio, sciendum est, juramentum quodlibet affirmationem, vel asseverationem potius dicentes, nihil aliud eo ipso innuere, quam omne jusjurandum contestationem aliquam continere, qua quis veracita-  
tem suam plenariamque verborum, aut aliorum cogitationum signorum, cum interno animi sui statu convenientiam satis perspicue significat; *religiosam* vero eandem asseverationem vocantes, nihil aliud adjecta haec determinatione indicare, quam quale discrimen adsit inter simplicem, aut nudam asseveratio-  
nem et eam, qua jurisjurandi nomine plerumque venire soleat. Non enim quamlibet assertionem, sed illam demum jusjurandum dicere fas est, quæ religione in subsidium vocata, i. e.  
æriori religionis sensu, antecedentium aut intervenientium meditationum sacrarum ope, excitato; atque adeo ejusmodi sub circumstantiis, ritibus solemnibus et facris data est, quibus asseverantis mens non certiori solum clariori et vividiori modo,  
quam in consueto ejus et ordinario statu plerumque fieri solet, de Numinis Supremi et existentia et attributis infinitis, inpri-  
mis tamen sanctitate, justitia et veracitate persuaderi, sed ad intensius quoque studium, gloriam divinam per veracitatem  
suam

suum pro virili illustrandi, officienter satis allici potuit et  
commoveri.

## §. 3.

Neque vero definitionem hancce nostram adeo sterilem esse puto, ut nihil prorsus in se contineat, quod ad ulteriorem jurisjurandi dilucidationem faciat; sed varia potius conseruaria, veram juramentorum naturam egregie declarantia inde deducenda esse statuo. Primum enim, quod ex definitione nostra, quantum quidem perspicio, satis commode cogitur, est: iusjurandum omne in subsidium tantum naturae corruptæ adhiberi. Cum enim assertio dicatur *religiosa*, seu, quod idem est, religionis motivis, vera, fideque digna reddita; palam est, in quovis jurante perversum ejusmodi animum supponi, quo in eo, quod asserit, facile alios fallere legemque naturalem, qua veritatem postulat, migrare forte possit, nisi religionis adminiculo, iustio prudentique modo adhibito, ad faciendum officium fortius impellatur. Quodsi itaque dexteritatem perfectam, integritatemque moralem sartam semper homo servaslet et inviolatam, ejusque natura perversis animi inclinationibus nullatenus depravata esset: haud sane opus fuisse jurejurando, sed cuncta mortalium asserta vera semper es-  
sent, fideque digna. Nunc vero, cum eo usque res mortali-  
lum prolapsæ sint, ut integrum vitæ, scelerisque purum nul-  
libi inveniamus, et nemo profecto hodienum sine vitiis nasca-  
tur, nonnunquam saltem juramento opus est, ut subsidio hoc,  
satis valido, natura hominis corrupta sublevetur, et ad veri  
confessionem prona reddatur atque parata, sicque partim in  
eo, qui aliquid asserit vel promittit, fallacia aut perfidia; par-  
tim

β) Conser-  
varia inde  
deducta.  
*Primum.*

tim quoque in altero, cum quo negotium illi est, dubitatio atque incredulitas supprimantur.

## §. 4.

*Secundam.* Alterum, quod ex definitione nostra colligo, quæstio-  
nem illam, dudum jam propositam concernit, utrum jura-  
mentum novam quandam et peculiarem obligationem produ-  
cat, an vero vinculum tantum accessorium sit obligationum  
nostrarum? Quæ enim mente, acriori religionis sensu affecta,  
asserta fuerint, cum nonnisi moraliter vera in se continere pos-  
sint, saltem debeant; ad veritatis autem moralis studium, ad  
unum omnes, per inviolabilem naturæ legem teneamus, licet  
nullo jurejurando ad obsequium, huic legi præstandum, exci-  
tati fuerimus: patet sine dubio, veracitatis observantiam neu-  
tiquam ut novam, quæ antea nondum adfuerit et juramento  
demum contracta sit, obligationem spectari posse, sed exi-  
stenti jamjam satisque in se validæ ad veriloquium obligatio-  
ni supervenire tantum, per jurandi ritum, vinculum quoddam  
accessorium, cuius ope ad veritatis moralis observantiam tanto  
fortius obstringamur, quanto gravius peccemus, si præter ob-  
ligationis istius violationem, in se jam satis turpem, acriorem  
quoque religionis sensum, ritu hoc religioso in mente nostra  
excitatum, qui alendus merito et ultiro nutriendus erat, temere  
supprimeremus.

## §. 5.

*Tertium.* Neque facile latebit enim, qui paulo curatius definitio-  
nem nostram rimari velit, ea demum juramenta, quæ per  
rem, divinitatis opinione in jurantis mente non desitutam,  
præstan-

præstantur, pro juramentis veris et legitimis habenda; propterea que jusjurandum vel ab Atheo susceptum, vel per rem tam  
 men, quam jurans divinam esse vel negat vel dubitat, præstis-  
 tum, vanum prorsus esse, et sensu omni casum. Cum enim  
 juramenta assertiones *religiose*, seu prouti adjectam hanc de-  
 terminationem antea exposuimus, ejusmodi assertiones sint,  
 quæ acriori religionis sensu, per antecedentes, vel intervenientes  
 meditationes sacras, in asseverantis animo excitato, ab eo-  
 dem elicita fuerint et extortæ: apparet, assertiones, nullo re-  
 ligionis sensu animum asseverantis afficiente, factas, neuti-  
 quam pro juramentis habendas esse et reputandas. Jam vero  
 non Athorum solum assertiones, quamvis vel maxime exter-  
 nam juramentorum formam atque speciem p̄ se ferant, sed  
 illorum quoque hominum effata, qui, licet Numinis exis-  
 tiam quidem largiantur, suam tamen fidem veracitatemque  
 per solemnam ad ejusmodi tantum rem provocationem, quam  
 creatam et finitam, neutiquam vero increataim et divinam esse  
 opinantur, confirmare student, assertiones procul dubio sunt,  
 sine omni, saltem clariori religionis sensu prolate; propterea  
 que jure, ut puto, meritoque negandum erit, in juramento-  
 rum numerum commode satis hujusmodi asserta referri posse.  
 Haud quidem diffiteor, Atho etiam nonnullas res p̄ aliis  
 sacras, sanctas et pretiosas videri posse, eundemque pro vera-  
 citate sua, illas quasi oppignorando, majorem dictis suis fidem  
 conciliare posse; sed nego tamen, hujusmodi assertorum con-  
 firmationes juramenta vocanda esse merasque contestationes  
 tantum, fortius asseveratas; illas dixerim. Nec fugiunt me  
 prorsus, quæcunque juris naturalis doctores, de nonnullis jura-  
 mentorum, per res creates conceptorum, exemplis, quæ pas-  
 sim

LIB. 10.

sim apud Scriptores profanos inveniuntur, jam olim disputa-  
runt. Sed licet forte sint, qui hodjenum dicant, paganorum  
plurimos per fidera, aut alias res creatas vere jurasse: illorum  
tamen opinioni ingenue adsentior, qui haec aliaque ejusdem  
generis exempla vel nulla omnino juramenta in se continere  
dicunt, vel jurajuranda quidem, sed talia tantum in illis vi-  
dcent, quæ assertiones sint, acriori religionis *false* sensu proli-  
citatæ et verificataæ. Homo enim licet falsam superstitionemque  
de Deo opinionem soueat, et idolum pro vero Numine habeat,  
religionis tamen sensum habere, proptereaque ad veritatis con-  
fessionem per eundem religionis sensum commoveri potest.  
Quam ob rem juramenta etiam quælibet, jurantis religioni ac-  
commodanda, ejusque Numinis, quod quisque colit, attribu-  
ta potissimum moralia in mentem illius revocanda sunt, cuius  
fides et veracitas jurejurando confirmanda est.

## §. 6.

γ) Species  
juramento-  
rum.

Ad species denique formasque juramentorum respicienti,  
itidem ex definitione nostra fluere videtur, omne omnino ju-  
ramentum in se quidem unum tantum, confirmatorium nimi-  
rum esse; sed receptam tamen istam et consuetam jurisjurandi  
in assertorium et promissorium divisionem, neutiquam in to-  
tum reprehendî, verum potius rite explicatam, ferri posse at-  
que defendi. Jusjurandum enim cum propterea tantum a nu-  
da assertione differat, quod *religiosa* sit assertio; religionis vero  
ad assertionem aliquam applicatio alium habere nequeat ipsum,  
quam ut verificetur ejus ope et confirmetur assertio; sive affir-  
mativa tandem fuerit, sive negativa: prior illa consecutarii no-  
stri pars, omne juramentum in se tantum unum, confirmato-  
rium

torium nempe, esse, facile sane liquet. Neque posterius quoque illud, receptam illam juramentorum in assertoria et promissoria divisionem nihilominus ferendam adhuc esse et defendendam, difficilior ex definitione nostra cogi posse statuo; dummodo distincte satis et perspicue antea explicetur, qualis tandem sensus huic divisioni iure sit tribuendus. Neutquam vero fundamentum hujus distinctionis cum aliis quibusdam iuris naturalis doctoribus in ista temporis differentia colloco, qua facta, juramento confirmanda, vel praeterita aut praesentia, vel futura; et in priori casu juramenta assertoria, in posteriori autem promissoria dicuntur. Omnem enim rem, quae jurejurando confirmari possit, factum quidem, sed nec praeteritum, nec futurum, verum potius praesens tantum factum esse, statuo: praesentem nimurum de interno mentis nostræ — vel qua cognitionem et intellectus persuasionem, vel qua inclinationem et voluntatis proposita — statu significationem, ope signorum quorundam, a jurante factam. Ac hujus solum de interno mentis nostræ statu significationis, cum vera de eodem hocce statu perceptione praesenti convenientiam, jusjurandum quidem propterea, quod religiosa, i. e. ejusmodi assertio est, cuius veracitas religionis motivis elicita fuit et promota, confirmare potest; an vero amplius quid probare possit et confirmare, equidem valde dubito. Haud quidem ignoro, in rebus historicis, eventuum praeteritorum credibilitatem augeri admodum et crescere, si testes hujusmodi rerum, testimonia sua juramento confirmaverint; sed curatus tamen examinanti, quid demum illud sit, quod immediate et vere jurejurando comprobatum sit, facile apparebit, non tam praeteritorum eventuum certitudinem, quam praesentis tantum testimonii, de facto

B

quodam

quodam præterito dati, veritatem, illuc referendam esse. Quare quoque is, qui jurat, se audivisse, vidisse, aut alio quodam sensu externo hoc vel illud percepisse, non præterita sensationis ipsius, sed præsentis tantum de sensatione ista, olim habita, mentis persuasionis certitudinem, juramento suo vere confirmat: sensationes vero ipse, nisi aliis forte rationibus eorum veritas probari queat, illiquid semper manent et incertæ. Quæcumque vero de rebus factisque præteritis hucusque diximus, ea majori fere, aut pari saltem jure de futuris rebus factisque valent. Facta enim ista futura, quæ jurejurando evinenda esse dicuntur, nonne ad unum omnia vel a cognitione jurantis ejusque intellectu solum, vel ab animi inclinationibus quoque et voluntate ejusdem immediate pendent? Hac vero futurorum hujusmodi factorum indole concessa, sane non perspicio, quomodo fieri queat, ut homo, cuius cognitio continua mutationi obnoxia est, jurejurando suo jam in antecedsum pollicetur, hanc vel istam mentis persuasionem, seu eventum in cognitione sua obvium, vel existiram olim, vel absfuturam esse. Neque etiam liquet, quomodo idem homo, cuius voluntas, uti in proverbio dicunt, ambulatoria est, juramento promittere possit, se post certum aliquod tempus, imo multos demum post annos, hoc vel illud animi propositum, hanc vel istam voluntatis propensionem aut habiturum, aut non habiturum esse. Nonne enim voluntatis propensiones a cognitionis nostra statu atque conditione ita dependent, ut hac mutata, ista simul mutationem insignem necessario subeant; et annon igitur propterea, quod cognitionis status atque qualitas quovis fere temporis momento mutatur, nemo profecto mortalium pro voluntatis sua propensionibus in antecedsum spons.

spondere, futuramque hanc vel istam illarum conditionem certo eventuram esse, juramento suo asseverare poterit? Quodsi itaque nec præteriorum, nec futuorum veritas jurejurando confirmari potest, recte quidem et evidenter inde cogitur, præsentia tantum facta, eaque vel in intellectu jurantis solum, vel in voluntate quoque ejus contingentia jurejurando comprobari posse; sed nihil tamen secius consuetam istam juramentorum in assertoria et promissoria divisionem optimo jure defendere licebit. Cum enim facta illa præsentia, jurejurando confirmanda, vel ejusmodi, quæ nullam in pactis promissive vim exserere queant; vel talia esse possint, quæ ad pacta missaque sancta atque illæ servanda, utique vim quandam habeant atque potestatem: juramenta, quæ prioris generis facta confirmant, assertoria; quæ vero illorum, quæ posterioris generis sunt, certitudinem evineunt, promissoria nuncupare, sicque consuetam illam et antiquam divisionem porro retinere, jure meritoque licet.

## §. 7.

His haecenus de juramentorum indole in genere disputatis, instituti nostri ratio jam postulat, ut in specie etiam disquiramus, utrum naturale quoque jus quoddam homini competit, eorum, quæ illiquida adhuc et incerta sunt, veritatem, si res et ratio ita postulet, jurejurando confirmandi. Ac pri-

b) In specie  
de jure hor  
minis natu  
rali, jura  
mentouendi.

α) Antiqui  
tas hujus ju  
ris.

num quidem ad ipsum hujus juris usum quod attinet, eum

jam antiquissimum esse, et inter vetustissimas terrarum orbis

gentes receptum, prisci ævi historia satis superque testatur.

Non solum enim de Gracis, Romanisque, sed de Aegyptiis

etiam, Hebreis, aliisque priscæ ætatis nationibus pluribus, te-

Si monia ad sunt omni fide digna, quibus jurandi ritum illis  
 jam temporibus obtinuisse, perspicue satis et sufficienter, si  
 opus esset, probare liceret. At enim vero, forte conceden-  
 dum quidem erit, jurandi ritum satis jam antiquum esse; sed  
 jure tamen sumi poterit, usum ejusdem ritus nihilo secius fu-  
 isse illegitimum, et ad perversas illas consuetudines referen-  
 dum, quæ satis quidem mature inter mortales introductæ, neu-  
 tiquam vero unanimi omnium consensu receptæ ac probatæ  
 sint. Quemadmodum enim multa quidem hujus usus docu-  
 menta omnis ævi historia continet: ita etiam vestigia quædam  
 haud obscura inveniri opinionis, a prudentioribus forte et cu-  
 jusvis ætatis viris receptæ, haudquam jurandum, homini-  
 busque, veri et candoris studio deditis, a perverso ejusmodi  
 more prorsus abstinendum esse. Omissis enim, quæ haud  
 pauci Christianorum, doctoris sui divini, ejusque legatorum  
 de juramento monitis commoti, de jurejurando, seu ritu pro-  
 fus profano et illico censeant atque affirmant: antiquissimis  
 jam temporibus, inter Judæos, Eſenos; apud Græcos, Pytha-  
 goreos, Socratem et Zenonem; quin etiam integrum natio-  
 nem satis celebrem, Scythas videlicet statuisse, nefas prorsus  
 esse et illicitum, asserta sua juramento confirmare. Speciem  
 utique habent, quæcumque hic sumuntur; an vero ita compa-  
 rata sint, ut secus statuentium sententiam deſtruant, euidem  
 valde dubito. Quod quidem Eſenos attinet, utique Josephus  
 de illis inquit: *super vacanea res ipſis habetur iurare* \*); prop-  
 tereaque lubenter concedimus, verum esse, severam hanc Ju-  
 dæorum ſectam jurandi ritum pro more quodam illico ha-  
 buisse; ac idem fere de Scythis largiendum esse puto, licet  
 illa

\*) Antiq. Jud. L. II, c. 7.

illa Scytharum responsio, Alexandro M. referente *Curtio*, data:  
*jurando scilicet gratiam Scythas sancte ne credideris, colendo*  
*fidem jurant* \*), nondum statim probet, omne omnino jusju-  
*randum a Scythis rejectum, et nullo in casu ab ipsis receptum*  
*aht usitatum fuisse.* De Pythagora vero, ejusque asseclis jure  
*meritoque statuimus, neutiquam omnem omnino jurandi ritum*  
*illos vituperasse, sed abusum tantum eius reprehendentes, can-*  
*doris, sinceritatisque studium praecepue commendasse.* Quam-  
vis enim Pythagoras statuisse dicatur: *non jurandum esse per*  
*Deos, sed quoniam id curare debere, ut nec jurato sibi crea-*  
*tur* \*\*), ex hac tamen Pythagoræ sententia tanto minus statim  
*extorqueri potest, eundem non forte levem tantum et nimis*  
*frequentem jurisjurandi usum, sed omnem potius jurandi ri-*  
*tum prohibuisse; quanto certius est, alibi eum discipulos, ut*  
*ad jurandum raro ac tarde accedant, ubi vero semel jurassent,*  
*ut prosus sacramenti fidem servarent* \*\*\*), admonuisse; hos-  
*que, præceptoris ducisque hujus sui auctoritate commotos, non*  
*quidem per Deum explicite, sed tamen per *Tetraestyn*, nume-*  
*rum, huic Philosophorum familie præcipue sanctum, quo*  
*Deum forte implicite significabant, jurasse.* Quod denique  
*ad Socratem et Zenonem attinet, opinantur quidem nonnulli,*  
*philosophos egregios, propterea quod prior per canein, an-*  
*serem et platanum, posterior vero per capparim juraverit,*  
*veri nominis juramenta, quæ per Deum præstentur, omnino*  
*vituperasse; sed jocularia hæc sine dubio erant juramenta, qui-*  
*bis non idcireo, quod omnem jurisjurandi usum rejiciebat,*

VERUM

\*) L. VII, c. 8.

\*\*) Diog. Laert. L. VIII. §. 22.

\*\*\*) Apud Diod. Sicul.

verum hanc potius ob causam utebantur, ut sermonis habe-  
rent quasi ornamentum aliquod ac supplementum, quo salva  
reverentia Numinis semper oti liceret, ubi pravus istius ætatis  
mos frequenter nimis jurisjurandi usum invexerat. At enim  
ponamus, verum esse, non integras solum nationes, sed sapi-  
entiores etiam Græcorum Romanorumve philosophos quosvis  
credidisse, illicitum proorsus esse, ad veritatis confirmationem  
jurare: merito tamen queritur, quo tandem jure iniquam  
hanc de jurejurando sententiam amplexi sint? utrumne ratio-  
nes ad sint, an potius desint, quibus opinio ista confirmari  
queat, et si quas dubitandi causas secus sentientes adferant,  
num idoneæ satis illæ sint, aut ineptæ potius et insufficientes?  
Atque hæc in sequentibus §. §. plenius disquirenda sunt et  
exponenda.

## §. 8.

*B) Dubia,* Primum itaque locum inter dubia contra jurandi licenti-  
*quibus im-* am, ex solis rationis principiis petita, illud merito obtinet,  
*pugnatur.* quod omni omnino usū jurisjurandum quodvis carere perhibet.  
*Primum.* Eandem vero juramentorum inutilitatem ex duplicitopissimum  
principio quodammodo probare secus sententibus licet, quo-  
rum unum est: quod jurisjurandum nec novam aliquam obliga-  
tionem in jurante producat, neque obligationem, jam antea  
firmam et præsuppositam, fortius confirmet, validioreme-  
reddat; alterum vero, quod nulla iurijurando vis competit ad  
pleniorem mentis persuasionem in aliis hominibus, quibus ju-  
ratur, promovendam. *Prius* vero illud non Puffendorffii so-  
lum aliorumque juris naturalis doctorum, quorum placitis me-  
rito adslipulandum sit, veram de juramento sententiam esse di-  
cunt,

emunt, sed ex rationibus quoque patere ajunt, quas admodum validas esse putant. Quod enim ad juramenta primum assertoria attinet, unumquemque dicunt, ut, quicquid de facto aut eventu quodam, cuius veram indolem nosse aliorum intersit, ipsi forte constet, candide et aperte indicet, per se jam et sine omni juramento teneri; eademque hominis cuiuslibet obligationem, ne unico quidem novo motivo, per adhibitum jurandi ritum accrescere et angeri. Alteram vero istam juramentorum speciem, quæ promissoria complectitur, ita comparatam esse statuunt, ut nec iis, quæ in se illicita, proptereaque neutriquam vel promittenda tantum, vel servanda etiam sunt, contraria reddere queat naturam, nec veram istam ad recte jusque promissorum observantium obligationem vel producere primum, vel validiorem saltem efficere possit; quippe cum eadem hæc obligatio jam ante juramentum præstitum adfuerit, nec quicquam jurando illi accesserit, quod ejus vim et sanctitatem angere possit et amplificare. Quamvis enim vulgo quidem persuasum sit, hominem, quæcumque simpliciter tantum aliis promiserit, jurando, Deo quoque promittere; atque ita juramentum promissorium, duplex proprie promissum, unum Deo, alterum vero homini factum, et proinde duplice quoque obligationem, erga Deum nempe et erga hominem contineat; eandem vero duplice obligationem utique multo fortiorum sanctioremque esse, simplici obligatione, per nudum tantum promissum contracta: tamen falsa et erronea esse, quæcumque de duplice promisso, aut duplice obligatione hic fingantur. Ad officia enim aliis debita, et, quod inde sequitur, ad promissa quoque aliis servanda, Deo æque ac hominibus unumquemque, licet nullo jurejurando fidem suam asseveraverit,

obli-

obligari; propterea que per se jam patere, non crescere obligationem per jurisjurandi accessionem, sed eandem potius manere, qualis antea jamjam fuerat. *Posterioris* istius principii, quo precario sumunt, nullam omnino jurisjurando vim esse, ad majorem mentis persuasionem, in aliis hominibus producendam, veritatem inde elucere statuunt, quoniam nec candidus homo virtutique deditus, nec fallax ille vitiisque contaminatus improbus, sive in animis piorum, sive in mentibus impiorum, majorem de fide sua persuasionem jurejurando suo excitare possit. Quodsi enim ingenuus homo, qui oris sinceritatem, vietque integritatem semper sectetur, juret, illos quidem, qui etque probi candorisque studiosi sint, non majorem propterea fidem ei praebere; quippe cum eidem, vel non juranti, summam jam fidem tribuendam esse opinentur. Eos vero, qui falsiloquia vilipendant, ac veritati virtutique non magis, quam mendacio et vitio adhaerant aut faveant, nec jurejurando alterius adigi facile posse, ut dictis ejus credant; quippe cum, alios suo plerumque modulo metientes, ejusmodi animi persistitatem unicuique tribuant, quae similis sit ei, qua ipsi sacra quævis sanctaque spernere ac profanare soleant. Quodsi autem contrarium contingat, et homo scelerum animum mentemque insipiam in sinu suo fovens, juramento fidem suam testari velit: et illum quoque apudpios etque ac impios spe sua frustrari, cum utrique probe intelligent, eum, qui nec veritatis nec virtutis studiosus sit, nibili quoque habiturum esse, si cum juramentis ludat, aliosque assertis suis speciesis decipere possit.

In altero argumento, mos ille satis jam antiquus, jureju- *Secundum*, rando in veritatis confirmationem utendi, multo adhuc gravius reprehenditur. Eundem enim non inutilem tantum, sed aperte quoque noxiū multorumque malorum fontem esse ajunt. Id vero ne perperam et precario asseruisse videantur, *primam*, quam prætendunt, rationem hanc afferunt, quod superstitioni nimis faveat. Cum enim communis fere omnium opinio sit, perjurii peccatum præ ceteris delictis gravius, im- mediate plerumque, aut miraculoſo quodam modo, et in hac terrena mortalium conditione a Numinе sanctissimo puniri: per se jam patere statuunt, quantum superstitionis adjuvetur, si re- tentio aut defensio jurandi ritu, opinio ista simul et refineatur et propagetur, cui non quotidiana ſolum experientia de perju- riis quam plurimis, in hac ſaltem vita impune commiſſis, ſed sapientia quoque, bonitas et iuſtitia Numinis ipſa aperte con- tradicant. *Alia* pernicioſa admodum, quam jurandi ritui tri- buunt, indolis ratio haec adſertur: quod veracitati officiat, vanamque iſtam et proſuſ exitiosam opinionem aut procreet primum, aut alat tamen atque protegat, mendacia nempe ſine perjurio commiſſa, vel omnino licita, vel peccata ſaltem levio- ra eſſe, quibus Numeſ facile condonet, aut ejusmodi poenam conſtituat, qua ex malis adeo parvis conſiſtat, ut cuna bonis, per mendacium nonnunquam obtinendis, nullatenus compa- randa ſit. Neminiem vero, qui aliqua ſaltem errorum præju- dicatorumque hominum notitia polleat, noſtræque ad veracita- tem et fidem, nobis invicem ſervandam, obligationis sanctita- tem intelligat et meditetur, facile negaturum eſſe putant, ean-

C

dem

dem hanc opinionem satis quidem pestiferam, sed nihil tamet minus mentibus jurantium plerumque alte infixam esse et penitus insitam. Huic vero secunda ratione, qua jurisjurandi usum prorsus damnosum esse evincere stident, tertiam adhuc adjungere liceat, que partim a scrupulis infinitis, meticulosorum mentibus ex jurato promisso vel asserto facile oriundis; partim quoque a plenaria ista petita est animorum depravatione, cuius producent, si non causa quidem proprie ita dicta, faltem tamen occasio, jusjurandum fieri possit; si nemo ab homine praestetur, qui ad levitatem inclinet, et sacra cum profanis, feria cum jocosis iuxta estimare, incuriosiusve tractare soleat. Experientiam enim ipsam docere ajunt, saepenumero inveniri, qui postquam promissa, aut nuda tantum asserita sua jurejurando confirmaveriat, perpetuo deinceps, eoque acerbissimo animi angore torqueantur, quod perjurios vel jamjam factos, vel ut aliquando fiant, in summo nunc periculo esse metuant; quemadmodum etiam contra deprehendantur, qui perparum sane, quacunque jurando vel promiserint, vel nude tantum asseruerint, deinceps curantes, proptereaque nec frequentes illas perjurias committendi occasionses ex debito vitantes, primum quidem hoc ipsum tantum facinus perpetrare non erubescant; id vero severa. Nummis vindicta cum non illico semper plecti animadvertant, mox temere prorsus et audacter suslineant, omnis generis peccatis mentem polluere, sibique omnia permittere, quacunque animum depravare, perniciemque perpetuam illi parare queant.

Tertium idque ultimum, cuius mentionem facere de- *Tertium*,  
 crevi, argumentum, hanc potissimum contra jurandi ritum  
 rationem urget, quod dignitati hominis naturali per exercitium  
 hujus ritus permultum derogetur. Licet enim mortaliam res  
 eo nondum prolapsa sint, ut sine jurejurando nulla adhuc ve-  
 ritas in terris inveniatur, et nemini prorsus fidendum sit, nisi  
 hoc quasi vinculo religioso ad dicendam veritatem adstrictus  
 fuerit: nihil tamen alind quemlibet jurisjurandi usum loqui, in  
 hac securi sentientium ratione sumitur, quam pulsam a terra  
 finibus veritatem, mortaliumque naturam usque adeo hodie-  
 num depravatam atque corruptam, ut dictis hominum nudis  
 nulla amplius fides habenda, sed adminicculo potius peculiari  
 opus sit, quo, veluti tortura quadam spirituali, eum in finem  
 uti queamus, ut in afferente vel promittente malitia correatur,  
 et efficienter satis fallacia omnis et perfidia impediatur; in al-  
 tero vero, cum quo negotium est, dubitatio omnis et credu-  
 litas supprimatur, penitus et extinguitur.

Dubiis hisce palmaris, que contra juramentorum usum  
 vel actu moventur, vel moveri saltem possent, allatis: ipsa  
 nunc fundamenta quoque iustremus, qua ratio suppeditat, si  
 quando opus est, ut jus hominis naturale, jurejurando in veri-  
 tatis confirmationem utendi, addiruatur rite et stabilatur. Ac omnia refelli  
 in primo quidem arguento, quo integrum hujus juris valo-  
 rem docere conabor, hanc potissimum rationem adserre liceat,  
 quod dubia, contra jurandi ritum mota, vel nihil omnino, vel

*y) Rationes,  
 quibus pro-  
 batur, qua-  
 rum.*

*x) Prima  
 est, quod du-  
 bia contra  
 illud mota,  
 non possint;  
 id  
 quod proba-  
 tur ipsa re-  
 futatione.*

*1) Primi  
 non dubii.*

non ea saltem probent, quæ probare deberent, si oppositæ sententiæ falsitas liquide satis evincenda esset. Id vero ne pre-  
cario tantum posuisse videar, ad singula dubia, in §.sis præ-  
cedentibus prolata, sufficientem, ut puto, responsonem nunc  
jam subjungam. Primum itaque dubium quod attinet, quo  
omnis omnino usus juramentis denegatur, ejusdemque accusa-  
tionis veritas ex duplice deinceps principio elucere dicitur: neu-  
trum sane ex hisce principiis simpliciter concedo. In priori  
enim principio largior quidem, per jusjurandum neutiquam  
novam produci obligationem, qua materiale ejusdem; sed né-  
go hoc de formalii illius. Licet enim jurantes omnes ad vera-  
citatem sancte servandam, vel non jurati, jamjam teneantur,  
adeoque materiale hujus obligationis, per juramentum præstis-  
tum nec ortum demum sit, nec insigni adeo ratione immuta-  
tum, ut pro novo prorsus debito haberí queat: novum tamen  
ad veracitatem servandam motivum, jurisjurandi usu accessissæ  
ad eandem obligationem, formamque propterea ejus satis eo  
ipso mutatam et innovatam esse, optimo profecto jure statuo.  
Quicunque enim jusjurandum dedit, non iisdem tantum mo-  
tivis ad dicendum verum impellitur, quæ ad veracitatem in ge-  
nere servandam invitare possunt; sed nova quoque hac ratione,  
ut satis officio huic suo faciat, commovetur: ne veracitatem  
violando, alio etiam modo graviter in Deum peccet, majestati  
nempe ejus infinitæ, cuius sanctitatem jurando meditatus sit,  
saltem meditari debuisset, audacter ilvidendo deridendoque.  
Cum itaque jurandi ritu novum, idque satis efficax et grave  
motivum ad veracitatis obligationem revera accedat: falso  
sine dubio erit, quod prætentitur, obligationem videlicet illam  
per juramentum assertorium non confirmari magis et validio-  
rem

rem reddi quam antea jamjam fuerit. Quæcunque vero ad istam objectionis partem, quæ juramenta assertoria potissimum tangit, modo dicta sunt, eadem fere valent etiam, si alteram illam objectionis partem, quæ ad promissorium iusjurandi præcipue spectat, refellere nunc velimus. Licet enim ex antea jamjam dictis facile admodum perspectu sit, lubenter me et sponte nunc largiturum esse, non solum istam obligatiōnem de futuro, cuius adimplendæ animum, per jurisjurandi usum, partim delatori juramenti, vel excitare demum, vel firmare tantum et ob-signare quasi, partim vero jurans ipse, quantum in se est, aliis ad liquidum probare studet, neutriquam, qua materiale suum, ejusmodi jurisjurandi ope, vel produci primum posse, vel angeri etiam et perfici; sed vanam quoque esse et erroneam vulgi opinionem de duplice promissione vel pacto, per juramenta promissoria, partim cum Deo ipso, partim cum hominibus initio: tamen adsunt in promptu; quibus, hoc quoque in respectu, precarium istud principium derivari possit. Quandocunque enim juramenta promissoria præ-sentur, iterum duplex distingueda est obligatio, alia de præ-senti, et alia de futuro, et utramque illam non quidem qua materiale, attamen qua formale suum per adjunctum iusjurandum augeri puto et confirmari. Obligatio enim de præ-senti, sinceram tantum veri istius animi propositi, quod jurans de adimplenda obligatione de futuro concepit, significationem; obligatio autem de futuro, ipsam hujus vel istius promissi, alteri legitime facti, observantiam, pro materia habet aut ob-jecto. Jam vero obligationem istam de præ-senti quod attiner, ea utique, qua materiale suum, adjecto juramento non auge-atur et perficitur, sed qua formale tantum suum, firmatur sane

et

et fulcitur. Nonne enim novum hocce, ut candide prorsus animi propositum indicet, motivum exinde juranti oritur, quod, si mendacium jurando diceret, et illos, quibus jurat, fal-leret, non solum officium illud suum violaret, quo ad vitan-  
da mendacia, et ut justis suis promissis debite flet, tenetur; sed cum religione quoque ipsa Numinisque maiestate temere lude-ret, eandemque derideret? Idem quoque valet de obligatione de futuro. Quamvis enim illa, qua materiale sum, nullam prorsus accessionem ex juramento capiat: ejus tamen formali novum aliquod accedens accrescit motivum. Cum enim qui jurejurando asseveravit, se promissis suis stare velle, eo ipso jus concessit aliis, tanto confidentius exspectandi, ut officio satisfaciat, fidemque datam servet, quanto certius est, hanc ipsam illius fidem eo nunc asseverationis genere probatam esse, quod omnium validissimum et tutissimum inter homines ha-betur: sane, si officio suo deinceps desit, promissaque jurata non impleat, non in eo tantum peccat, quod debitum pro-missum non exsolvit; sed graviter etiam propterea delinquit, quoniam alios in usu juris sui, plenaria cum confidentia pro-missorum impletionem exspectandi, turbavit et læsit; præ-te-reaque ritus cuiusdam valorem dignitatemque imminuere au-sus est, qui sanctissimus plerumque reputatur et firmissimum ejusmodi pactorum vinculum constituit, sine quibus generis humani salus atque felicitas locum profecto habere non potest. Nonne igitur is, qui juramentum promissorum præstisit, si probe hac omnia secum reputaverit, novis, iisque validissimis sane motivis, ut præstanta præstet, impelletur; ejusque prop-terea obligatio de futuro etiam, qua formale videlicet ejus, angebitur magis perficieturque? *Posterior* illud principium, quo prima

prima juramentorum accusatio superstructa est, non solum  
 æque vagum et incertum, ac prius illud, quod modo destruc-  
 ximus; sed aperte quoque falsum est. Ad majorem enim  
 mentis persuasionem, in aliis producendam, nullatenus omnino  
 juramento vim competere, sive a probo et veraci, sive ab im-  
 probo et fallaci homine illud præstitutum fuerit, a nemine sane  
 jure defendi aut ad liquidum forte probari poterit. Haud  
 enim diffiteor quidem, viro bono candorisque studioso in plu-  
 rimis rebus sine asseveratione religiosa fidem esse habendam:  
 num vero propter ea vel optimi præstantissimique viri interdum  
 humani quid pati, veracitatisque leges, aut spe aut metu  
 commoti, violare nequeunt? Nemo sane mortalium tam per-  
 fekte bonus nascitur, ut nullam prorsus fallendi mentisendique  
 possibilitatem in eo deprehendere liceat. Quodsi itaque eadem  
 haec affectio animi vitiosa tam altas jam radices in natura hu-  
 mana egit, ut optimorum sanctissimorumque hominum asser-  
 tis interdum diffidere neutriquam prorsus absontum sit: annon  
 idcirco permultum juvabit, ad majorem de veritate assertorum  
 suorum persuasionem in piorum æque ac impiorum animis pro-  
 ducentam, si præstantiores sapientioresque, in casu nimirum  
 dubio et gravi, quæcumque dixerint, iurando obsignave-  
 rint, suaque asserta, vel præviis, vel interventionibus meditatio-  
 nibus religiosis protulerint. Cum enim fieri prorsus nequeat,  
 ut pius vitaque integritatem sedulo sectans, eo ipso temporis  
 momento, quo officii sui distincte satis memor, Numitis quo-  
 que sanctitatem et justitiam severam attentus meditatur, a pie-  
 tate deficiat et cum peccati conscientia delinquat: iusjurandum  
 vi sane polleat necesse est, ad certissimam et perfectissimam,  
 quæ dari modo potest, de veritate eorum, quæ præstantioris

ejus.

eiusmodi indolis mortales ritu hoc religioso suscepit, effati sunt, persuasionem in impiorum & que ac piorum animis producendam. Licit enim concedi possit, hominem irreligiosum interdum nec jurejurando quidem adigi posse, ut religiosorum dictis fidem habeat: id tamen non semper fieri solet, et, si forte contingat, non juramentorum efficacia, sed incredulitati potius et perverso irreligiosorum animo, vitio id vertendum est. Quod denique ad juramenta, ab hominibus irreligiosis et impiis praeslita, attinet, utique illis eadem prorsus ad persuadendum vis tribui nequit, que jurjurando hominis religiosi et probi competit: attamen nullam plane persuasionis producendae vim illis concedendam esse, equidem sane defendere haud sustineam; dummodo jurans nondum omnem religionem penitus ejuraverit, Numinisque et existentiam et providentiam audacter neget. Cum enim vel pessimus nebulo nondum tam perfecte malus sit: verosimile profecto est, asserta ejus religiosa, i. e. præviis et intervenientibus meditationibus religiosis ab eo elicita, multo majorem cum veritate convenientiam habitura esse, quam si nude tantum et sine omni religiosis usu, ab illo prolatâ fuisse; proptereaque verbis quoque illius iuratis major sine dubio ad persuadendum vis competit, quam injuratis tribui potest.

## §. 12.

2) Secundi dubii. In dubio secundo, quo jurisjrandi usus ex hoc potissimum principio impugnatur, quod non usu tantum omni careant juramenta, sed noxia quoque sint et perniciosa, multa quidem sumuntur, que concedenda esse puto; sed nihil tamen feci permulta etiam in illo negari, saltem limitari cura-

curatus et restringi, non possunt tantum, sed jure etiam debent. Largiendum videlicet est, permultos non mancos solum atque obscuros, sed erroneos quoque et aperte falsos conceptus de jurejurando inveniri, qui plurium deinde errorum fontes sapienti numero euadant atque scaturigines; largiendum porro est, jurandi ritum inter homines receptum, nonnunquam ad prejudicia quedam satis noxia ansam præbere posse; largiendum denique est, innumera interdum mala alia ex incauto vel illegitimo juramentorum usu ortum ducere posse. Quid vero inde? Ut usus tollendus sit cum abusu? Ita sane si inferre licaret, sacra quævis et salutifera, imo religionem ipsam, abrogare fas esset. Declaretur itaque et emendetur obscurus ille, mancus admodum et erroneous conceptus, quem vulgus plerumque de jurejurando ejusque indole et usu sibi format; providus semper et satis cautus hujus ritus usus influitatur; omniaque, quam fieri potest, diligentissime vitentur, quæ casu tantum et per accidens occasionem præbere possint, ut detrimenti quid ex jurandi rito nascatur: tum, retento licet hujus ritus usu, cuncta sane mala ista et incommoda per se jam evanescunt, quæ per juramenta ipsa procireari perperam dicuntur.

## §. 13.

Tertium denique argumentum jurandi ritum propterea reprehendit, quod dignitati hominis naturali permultum deroget; sed curatus hanc accusationem examinata, tota illa neganda esse videtur. Quanquam enim verissimum, propterea secus sentientibus concedendum est, quemlibet jurisjurandi usum integratatis plenariae defectum aliquem et privatio-

<sup>3)</sup> Terti<sup>ii</sup>  
dubii.

D

nem

nem in humana natura arguere: eam tamen hominis dignitatem, quam hodiernum in illo animadvertere licet, per jurandi ritum obscurari admodum, aut nimis forte imminui, sine fundamento asserti puto. Etenim eo usque quidem nondum prolapsæ sunt res mortalium, ut nulla amplius fides inter illos restet: attamen tristi, proh dolor! experientia edocemur, ejusmodi animorum depravationem ad omne genus humanum penetrasse, ut nemo prorsus ea adhuc gaudeat sinceritate et probitate, quæ per se, jam efficienter satis impedit queat, quo minus, vel spe vel metu nonnunquam commoveri possit, ut alios decipiat, mentiendoque vera dicere simulet. Hanc itaque labem, cum dudum jam mortalium natura sibi contraxerit, sane non video, quomodo jurisjurandi usus dignitati hominis naturali aliquid detrahatur, dum nihil profecto aliud innuat, quam quod ipsa testatur experientia, labet nimirum ista omne genus humanum infectum, proptereaque remedio quodam opus esse, quo rite adhibito, collapsæ naturæ nostræ vires subleventur quasi et suffulcentur, sinceraque veritatis professio, si non semper, saltem tamen plerumque adjuvari possit.

## §. 14.

**2) Secunda, ex diversis rationis principiis petitia.**

**acce) Tali-**  
bus, quæ  
idem illud jus  
ex parte ju-  
rantis ipsius  
svincunt.

Potioribus itaque dubiis, quæ contra jurisjurandi usum moveri possunt, jamjam solutis, nunc ad alia quoque rationis principia pergendum est, quibus directe evincatur, in ipsis juris naturalis legibus juramentorum usum firmiter satis fundatum esse et probatum. Id vero, ut primum ex parte jurantis ipsius patescat, duobus potissimum principiis utar, quorum prius non nisi notissima illa et verissima juris naturalis lex est: cunctis omnino hominibus jus competere naturale agendi omnia

nia et suscipiendi, de quibus non constet, illicita eadem esse, et aliqua lege naturae prohibita. Nam vero cum, qui jurandi ritum debito modo, vitatisque abusibus adhibet, nihil, quod illicitum legeque naturae interdictum esse constet, committere, non inde solum patet, quod palmaria illa dubia, que contra jurisjurandi usum ratio effingere potest, perspicue satis antea jam soluta, fusiusque refutata sunt: sed propterea quoque merito sumitur, quoniam ne illum quidem in universo jure naturae vestigium adest, ex quo ejusmodi principii, quod contra jurandi ritum vere pugnet, existentiam, vel divinando eruere liceat. Nostrum itaque illud principium cum cuilibet nunc evidens satis et certum esse debeat, merito sane exinde jam inferimus, unicuique mortalium jurisjurandi ope asserta sua confirmandi, jus datum esse naturale, minimeque dubium adhuc aut incertum. Posterioris principium, quo assertum nostrum superstruere placet, lege ista universalis continetur, que, quemlibet jus aliquod naturale habere, sancit, omnia omnino adminicula, quoad fieri sine aliorum laesione possit, libere adhibendi, que ad justum licitumque finem consequendum apta modo sunt atque idonea. Cum enim justo utique et licto animi consilio id agere quilibet possit, ut fidem apud alios sibi conciliet, aliorum de veritate assertorum suorum dubitatem dissipet, omnemque mendacii, a se commissi, suspicionem extinguat penitus atque repellat: primum quidem vel hoc saltem liquet, jus competere unicuique, adminiculis etiam quibusvis, dummodo aliorum laesio eorundem usu vitetur, libere utendi, ut justum hunc et licitum finem feliciter consequatur. Concessa vero hujus consequentiae veritate: ecquis jam porro negare poterit, jus nobis datum esse minime dubium, juris-

D 2

jurandi

jurandi ope asserta nostra confirmandi? Quoniam enim nemo prorsus per legitimum jurisjurandi usum lēditur, et juramenta quoque eam habent naturam, ut ope illorum fidem apud alios nobis conciliare possimus: iisdem etiam, tanquam adminiculis ad scopum ejusmodi legitimū accommodatis, uti, licitum utique nobis erit atque permīssum.

## §. 15.

*B3) Tali-  
bus, quæ il-  
lud ex parte  
eorum de-  
monstrant,  
qui juramen-  
ta aliis defe-  
runt.*

At enim non jurans tantum, dum religiosam rite adhibet asseverationem, suo utitur jure; sed is quoque, qui aliis juramentum defert, nisi forte limites, quibus hujus quoque juris usus circumscribendus est, migret, neutiquam aliis injuriis fieri videtur. Hujus vero asserti mei rationem iterum duplice reddere placet, quarum prima hæc est, quod jusjurandum legitime alicui deferens, nihil profecto committit, quod lœsionem alterius in se contineat. Quanvis enim non diffitear, si nullum omnino jus adsit, veritatis confessionem ex alio extorquendi, jurisjurandi delationem itidem iniquam esse, et pro lœsione alterius habendam; remota tamen ista hypothesi, quomodo juramentum aliis deferendo, lēdere eosdem possimus, equidem sane non perspicio. Quodsi itaque jurisjurandi delatione, in se spectata, neutiquam alias lœdimus: ex principio isto, jam antea adhibito, quod omnia omnino jure naturali permitta esse docet, quæ nullam aliorum lœsionem inferrant, satis tuto jam inferre licet, jus homini concessum esse, naturale, juramenta aliis deferendi, idoneoque hoc adminiculio veritatis confessionem adjuvandi. Ejusdem vero juris nostri naturalis quantitas crescere deinceps et augeri nonnunquam follet,

let, si circumstantiae accedant, quæ ejus usum adhuc impensius flagitent, quorū potissimum referto, si metuendum cuidam sit, ne veritate vel negata, vel celata tantum, lēsio ipsi inde oriatur; eidem vero alia non pateat via ad lēsionem istam averterendam, quam alterius ad veritatis confessionem coactio, hujusque coactionis genus aliud locum habere nequeat, quam il-  
lud, quod hac veluti mentis excusione continetur, aut juris-  
jurandi delatione perficitur. Cum enim nemo prorsus ad lē-  
sionem alterius ferendam per se obligetur, sed jure potius gau-  
deat minime dubio, lēsionem omnem licito quovis modo re-  
pellendi: in ejusmodi profecto calu, in quo lēsio cuidam ex  
veritate vel negata, vel celata oriretur, licitum erit, jureque  
naturali mandatum, jurisjurandi delatione, ceu adminiculo  
coactivo, ad extorquendam veritatis confessionem fatis idoneo-  
uti; dummodo alia non pateat via ad eundem scopum facilius  
celeriusque pervenienti. His haec tenus disputatis, si denique  
adjungatur, nullo prorsus arctiori vinculo civitatem contineri,  
quam fide, neque vero ad fidem adstringendam efficacius ad-  
miniculum dari, quam juramentum; si perpendamus, reipu-  
blicæ, imo universæ societatis humanæ ad securitatem, tran-  
quillitatem atque adeo felicitatem omnimodam plurimum in-  
teresse, ne lites immortales quasi sint, et in infinitum protra-  
hantur; hauid raro autem contingere, ut contentiones inter  
homines oriuntur, quæ aliter terminari nequeant, quam per  
juramentum: nemini sane dubium adhuc aut illiquidum esse  
poterit, utrum jure naturali liceat, juramenta aliis deferre,  
an vero minus.

## §. 16.

2) *De abusibus juramentorum, praecipuis illorum fontibus et ingentibus malis inde uscentibus.*

a) *Fontes horum abusuum, qui latent.*

α) *In subiectis jurantibus.*

Tametsi vero satis firma adsumt principia, ex quibus ius hominis naturale, juramento veritatem confirmandi, ad liquidum demonstrari potest, proptereaque usus hujus juris in genere quidem licitus est atque permisus: nemo tamen, qualisque rerum humanarum notitia praeditus, negare facile poterit, abusum hujus juris, vero ejus et legitimo usu longe frequentiorem esse, variaque inde et gravia cum reipublice universae, tum singulis quoque membris illius damna oriiri. Ad haec itaque damna adeo nociva, pro virium nostrarum tenuitate, paululum imminuenda, haud abs re erit, si praecipuis nunc jurisjurandi abusuum fontes detegere sustineamus. Ac prima quidem tot tantorumque abusuum scaturigo in ipso subiecto jure vitiis et male affecto latet; vitiolaque hac ejusdem assertio primum in insigni quodam intelligentiae judiciique illius defectu deprehenditur. Debita vero intelligentiae saniorisque judicii defectus, cum non in mente capitis tantum, aut in infantibus, qui nondum ad judicij maturitatem pervenerunt, iisque adultis hominibus, qui vel infantibus ex haec saltem parte similes, vel ebriosi forte sunt; sed in illis quoque hominibus adsit, qui, licet in aliis rebus nentiquam prorsus rudes doctrinaque omni desluti sint, tamen aut veram hujus ritus religiosi rationem atque iadolem ignorant, aut in gravissimis illis de Deo erroribus versantur, quibus vel ipsa Numinis existentia, vel sapiens saltem ejus prouidentia negatric temere et rejicitur: turpes omnino juris istius nostri abusus oriantur necesse est, si sacramentum dicere ejusmodi homini permittatur, qui uno vel altero ex debitâ intelligentiae defectibus, quos modo indicavimus,

mus, misere laborat. Quomodo enim, qui veram jurisperandi indolem, ejusque potissimum sanctitatem et dignitatem, vel ob imprudentiam naturalem, vel ob inficitiam, morbo aut intemperantia contractam, ignorans, per meram formulæ sibi prorsus obscuræ, elocutionem adigi poterunt, ut quicquid in intimo pectore sentiant, aperte profiteantur? Quomodo, qui omnem jam ejuravit religionem et sumnum aliquod Numen revereri superstitionis esse statuit, per meditationem ceremoniamque religiosam commovebitur, ut veritatis leges sancte servet, genuinaque animi sui sensa externis signis sincere declareret? Quomodo denique, qui Deum quidem esse, sed nullam tamen rerum mundanarum curam illum gerere putant, omniscientia, sanctitatis, iustitiae, veracitatis, aliarumque Numinis perfectionum cogitatione effeaciter satis impelli poterunt, ut officio suo satisficiant, siamque vera dicendi obligationem religiose servent? Omnibus sane hujus generis conditionisque hominibus, si iusjurandum dare permittatur, non solum usum nullum, sed peruersum potius abusum inde sperate licebit. At enim vitiosa subiecti jurantis affectio non in intellectu semper, sed in voluntate quoque ejus sæpen numero præcipue latet, si scilicet vel ad animi levitatem nimis propendet, vel affectuum imperio subjacet, vel denique pravis omnino cupiditatibus ita regitur, pessimisque vitiorum cordibus adeo contaminatus est, ut omnem religionis sensum jamjam amisisse videatur. Quamvis enim lubenter largiar, hominem ad levitatem inclinatum, interdum quidem posse ad religionis sensum adduci; atque idecirco sumendum quoque esse, religiosas meditationes, in mente ejusdem vere excitatas, utique veritatis etiam confessionem in illo adjuvare posse: cum tamen ejusmodi homines

homines sacra quævis profanis, feriaque ludicris atque jocosis  
 rebus plerumque æquiparare soleant, verum religionis sensum  
 in illis excitare, perquam sane difficile, propterea que vel ma-  
 xime metuendum est, ne cum religioso jurandi ritu potius lu-  
 dant, quam legitimo scopo convenienti modo eundem ce-  
 lebrent. Quare igitur hujusmodi hominibus permittere, ut  
 assertorum suorum veritatem jurejurando confirment, illici-  
 tum semper esse statuo, nisi forte mentes illorum ad debitam  
 hujus ritus religiosi celebrationem sedulo antea et diu satis præ-  
 parata fuerint atque dispositæ. Ac idem fere de illis sentio,  
 quorum animus vehementioribus affectuum perturbationibus  
 irritatus nimium est atque commotus. Licet enim in eo, qui  
 affectui cuidam antea indulxit, sedatis jam motibus hisce ani-  
 mi perturbatis, iurandum ad veritatis confessionem facilius  
 eliciendam cum fructu adhiberi posse largiar: fortiori tamen  
 affectuum, metus v. c. spei, irae aut vindictæ impetu adhuc  
 durante, jure, ut puto, meritoque dubito, an juramenti usus  
 eam in hominis animo vim habeat, ut ab omni falsiloquio de-  
 terrere, ingenuamque veritatis confessionem extorquere possit.  
 Denique pessimam quoque illam mortalium progeniem, quæ  
 sceleratam prorsus et flagitosam vitam colit, potissimum vi-  
 tiosa ejusmodi lue infectam esse statuo, unde frequentes juris-  
 jurandi abusus facile oriri solent. An enim de eo, qui om-  
 nem Numinis reverentiam, eousque jam exuere sustinuit, ut  
 vitiis excellere honori sibi ducat, aut, nullo prorsus religionis  
 sensu commotus, non erubescat amplius, dum turpissima  
 quævis delicta palam et quotidie perpetret; an, inquam, de  
 ejusmodi homine exspectandum est, ut ritu quodam religioso ad  
 veritatis confessionem commoveri queat? Et annon propterea  
 abusus

abusus potius, quam verus et legitimus jurisjurandi usus erit,  
si ad fidem hujusmodi hominum arctius adstringendam, vi-  
culum illud religiosum adhibere pergamus?

## §. 17.

Alium jurisjurandi abusuum fontem haud raro in *objectis*  $\beta$ ) In obje-  
juramentorum seu rebus ipsis, quæ jurejurando confirmari so-  
lent, deprehendere licet; si scilicet eadem vel nimis leves et  
viles, vel incertæ et dubiæ, aut illicitæ et inhonestæ, vel im-  
possibilis denique, aut difficiliores saltem sint, quam ut ju-  
rantis viribus pares haberi possint. Cum enim insignis quæ-  
dam dignitas atque sanctimonia ritui huic religioso non per se  
tantum, sed ob scopum quoque ejus et finem salutarem com-  
petere debeat: levem proflus nulliusque momenti rem jura-  
mento obsignare, nihil sane aliud est, quam ipsam ejus sancti-  
tatem profanare. Insuper vero et vilium quarumvis rerum  
veritatem jurejurando confirmantes, cum mox ipsa juramenta  
vili pendere incipient: ejusmodi sane animi status in his ipsis  
hominibus pedentim producitur, quo durante, perquam fa-  
cile est, frequentiores jurisjurandi abusus committere. Quem-  
admodum autem perversum omnino et illicitum jurisjurandi  
usum dico, si viles leviorisque momenti res sancto hoc asseve-  
randi genere coimprobantur: ita, quæcumque dubia adhuc vel  
incerta sunt, juramento confirmare, pari modo absconum pla-  
ne, sibique repugnantem hujus juris abusum vocare licet. Ju-  
ramenta enim cum internam rerum juratarum indolem haud  
immunt, quæque per naturam suam dubia atque incerta sunt,  
indubia simul et certa esse nequeant: nescio profecto, an in-  
convenientia et absurditas singi possit major ea, quæ ejusmodi

*βisjuramen-  
torum.*

$\alpha\alpha$ ) Res,  
quæ jure me-  
ritoque ad  
inepta jura-  
mentorum  
*objecta refe-  
runtur.*

juriſurandi abuſu committitur. Eundem vero perversum iu-  
 ramentorum uſum neutiquam iſolitum forte et raro tantum  
 obvium eſſe puto. Ut enim alia ejus exempla taceam, unum  
 tamen hoc adferre liceat, quod in ejusmodi cœtuum ſacrorum  
 antiſlitibus deprehenditur, qui, craſſa nimis et erronea de ju-  
 rejurando opinione, quod a religione plerumque cognominan-  
 tur, adhuc regnante, partim ipſimet uifinuere, non forte  
 präſentem tantum, ſed futuram quoque de hoc vel iſto religi-  
 onis dogmate docendo tuendoque voluntatem juramento ap-  
 promittere; partim etiam alios commovere ſtudent, ut ſimi-  
 lem in modum, non que in präſenti ſolum tempore in intel-  
 lectu æque ac voluntate adſint, ſed ea quoque, que in poſte-  
 rum etiam in intimo peſtore ſuo eventura ſint, juramento ob-  
 ſignent quaſi et ſpondeant. Annon enim interna mentis hu-  
 manæ pefuſiones, quaque inde pendent, animi etiam noſtri  
 decretataque proposita quovis fere temporis momento, partim  
 ſponte ex libero noſtro arbitrio, partim vero contra aut p̄re-  
 ter omnem voluntatem noſtram mutantur, atque idcirco, quod  
 omnes tenemur ad intelligentiam æque ac voluntatem magis  
 magisque emendandam, corrigendam et perficiendam, ſubin-  
 de mutari etiam aut transformari debent; et a non propterea  
 incertum prorsus eſt, utrum eadem animi ſententia vel incli-  
 nationi, cuius veram et realem präſentiam internus ſensu nunc  
 teſtatur, in posterum etiam adſutura nobis ſit, vel minus?  
 Hac vero incertitudine evicta, quilibet profecto per ſe in-  
 telliget, abſonum prorsus eſt, ſi respectu futurorum mentis  
 pefuſionum, aut inclinationum certi quid jurejando promitta-  
 tur. Quæcumque autem de dubiis incertisque rebus, incongrue  
 prorsus jurejurando conſirmandis, modo dicta ſunt, eadē  
 quoque

quoque de aperte falsis, in honestis et illicitis rebus sine dubio  
alent. Cum enim vel nudum tantum et simplex falsiloquium,  
quo alii laudentur, jure naturali jam prohibetur; inho-  
nestas vero et illicitas res v. c. rapinam aut internacionem cet.  
aliis promittere, pari modo nefarium facinus sit, quod jus na-  
ture vetet: per se jam patere puto, multo sane minus licere,  
juramento interposito, aut falsa ista adseverare, aut turpia hæc et  
inhonestia perpetrandi animum ob-signare. Sed superest, ut  
de ultima adhuc rerum classe, quæ, si jurejurando confirmen-  
tur, turpium religiosæ hujus asseverationis abusum causæ fi-  
unt, nonnulla dicantur. Duo vero rerum genera ad hanc  
classem refero, impossibilia nempe, et ea, quæ ob internam,  
qua gaudent, indolem ita affecta sent, ut religiosa asseverati-  
one confirmari prorsus nequeant. Ac prioris quidem generis  
res, quæ fieri plane nequeunt, si jurejurando comprobantur:  
facile quidem unusquisque perspicit, temerarios inde et absolu-  
tos prorsus juramentorum abusus oriri, dummodo perpendit,  
impossibilia non incerta tantum, sed aperte quoque falsa, nul-  
lamque eorum ad obligandos homines vim esse, propterea que  
juramenta etiam, quæ existentis, non vero deficientis obliga-  
tionis accessorium fieri possunt, perverso animo et incongruo  
modo ad illa confirmanda adhiberi. Sed sane dolendum ta-  
men est, nimis frequenter adhuc inveniri juramenta, qua eum  
in finem praestentur, ut confirmant aliquid, quod non ita qui-  
dem, ut sibi met ipsi repugnet, sed hac tamen ratione impos-  
sibile est, ut per vires jurantis naturales et ordinarias perfici fa-  
cile nequeat. Quem enim fugit, pleraque officia publica, non  
nisi iis, qui juramentum officiale præliterunt, conferri; ejus-  
dem vero juramenti officialis argumentum, si non semper qui-

dem, attamen plerumque ita conceptum esse et concinnatum,  
ut permulta sane jurato promittenda sint, quæ debite servari  
et rite perfici nullo prorsus modo possint. Quodsi itaque no-  
stra hac, scientiarum beneficio adeo collustrata, xstate permultis  
sane animis est, abusus abrogare, passim adhuc regnantes  
optandum profecto est, ut in hoc quoque abusu abrogando  
emendandoque operam auctoritatemque suam interponere ve-  
lant. Posterioris generis res quod attinet, non nisi ejusmodi  
illas esse puto, quæ interiore sua indole ita ab aliis rebus disce-  
runt, ut nuda quidem et simplici affirmatione eas indicare fas  
sit, jurejurando autem illarum veritatem confirmare contra  
rationis legisque naturæ præcepta pugnet. Ac de his quidem  
rebus non summatis tantum statuo, utique abusum potius,  
quam verum et legitimum jurisjurandi usum nuncupandum  
esse, si religioso asseverandi genere adhibito, vel affirmetur  
vel negentur; quippe cum illicita semper et illegitima sint,  
quæcunque rationis jurisque natura legibus adversantur; sed  
in specie etiam opinor, facta potissimum historica, ab aliis  
nempe narrata, in numerum illarum referenda esse, eumque,  
qui aliquod factum, ab hoc vel isto scriptore narratum, non

B) Res, quæ perpe-  
ram huc re-  
feruntur; quorū ite-  
rum perti-  
nent.

N) Sensati-  
ones internæ.

simpliciter tantum pro vero facto vendicaret, sed jurejurando  
etiam ejusdem veritatem confirmaret, absontum hunc juramenti  
abusum esse commissarium. Utrum vero sensus interni objecta  
ad eandem hanc rerum classem pertineant, an vero minus:  
equidem non dubito tantum; sed oborta nuper hac questione,  
affirmativa etiam sententia in genere adsentior. Quamvis  
enim Cl. Mendelides negativam sententiam defendat \*), eidem-  
que summo et acutissimo viro concedendum etiam sit, veram  
since-

\* ) l. c. p. 74 et 75.

sinceramque eorum, quæ sensu tantum interno percipi possunt, confessionem, jurejurando ex alio elicere, haud incongrue, torturæ cœjusdam spiritualis applicationem dici posse: tantum tamen adest, ut ejusmodi vim, conscientiis illatam, semper et in genere injustam esse credam, ut potius bina hæc sumpta defendere sustineam: 1) Quæcumque sensu interno percipiuntur, eam habent naturam, ut non in se tantum possint jurejurando confirmari; sed, si forte externæ illorum significatio-  
nis veritas demonstranda evincendaque sit, meliori fere jure liceat, hoc nostrum, quod jurando absolvitur, probandi genus adhibere, quam si rerum, ad sensum externum pertinentiū, certitudo evincenda sit. 2) Justum nonnunquam et neutriquam semper illicitum est, violentum ejusmodi conscientia internæ scrutinium adhibere. *Prius* assertum, quoad pri-  
mam sui partem, inde patet, quod objecta sensus interni, ani-  
mi v. c. *presentes* persuasions, vel decreta ac proposita *praesentia* cum plenarii, aut ea saltem, quæ rerum ad sensum ex-  
ternum pertinentium respectu locum habet, certitudine cog-  
noscit possunt; et nihil omnino, nec in ipsa eorum natura in-  
terna, nec in signis quoque, quibus indigitandæ sunt, adest,  
quod in se impedit, quoniam is, qui ejusmodi objecta sen-  
sus interni rite percepit, jurejurando etiam adigi queat, ut ita prorsus aliis significet, prout revera percepta ab illo  
fuerint atque cognita. Alteram vero asserti mei partem inde  
evidenter fieri puto, quoniam veritatis eorum, quæ de sensa-  
tionibus externis vel affirmantur vel negantur, plura plerum-  
que et alia adhuc adsunt documenta, quibus quidem non ad-  
hibitis, nescis forte dici posset, si juramento quis asserta sua  
comprobaret; eorum autem, quæ de internis sensationibus  
aliis

aliis significanda sunt veritas, nullo prorsus alio demonstratio-  
nis genere, quam eo, quod in dato jurejurando consistit, evin-  
ci potest. *Posterior* illud assertum meum, quod attinet, veri-  
tas ejusdem inde potissimum elucet, quoniam sapienti numero e re  
vel personæ, sensationem suam testificantis ipsius, vel aliorum  
saltem hominum est, ut veritas ejus, quod de sensatione qua-  
dam interna assertur, ea quoque evidenter et certitudine de-  
monstretur, quæ pro summa in hoc genere merito habenda;  
neque vero alia sane est, quam ea, quæ preslito jurejurando  
absolvitur, id quod, vel unico hoc exemplo facile liquet, si  
in inquisitione quadam criminali de eo jam quæstio oriatur,  
utrum delinquens volens, an potius præter voluntatem animi-  
que propositum delictum commiserit. Quodsi autem utraque  
hæc sententia nostra vera; proptereaque iis assentiendum sit,  
qui, ut nostra de sensu interno perceptis effata jurejurando  
confirmemus, nonnunquam saltem licitum esse judicant: ex  
generali saltem regula ista *Mendelidis*, quæ contrarium ejus  
prorsus docet, quod modo probatum est, cogi sane nequit,  
juramenta, quæ a religione plerumque cognominantur, omni-  
no illicita esse rejiciendaque. Quamobrem idem quoque jura-  
mentorum genus tam diu pro licto et justo habendum erit,  
donec ex alio fundamento contrarium evincatur. At enimve-  
ro consecratio huius nostri contraria prorsus ratione, de jura-  
mento religionis statuendum esse, recentiorum quam plurimi  
ex aliis quibusdam principiis; Celeberrimus vero *Mendelides* in-  
de in specie probare quidem voluit, quod nulli prorsus coetui  
sacro jus quoddam perfectum competat, alias ad candidam et  
apertam internæ mentis de hoc vel isto dogmate persuasionis  
confessionem cogendi; sed cum nondum efficerit Vir celeb-  
sua,

fus, quam dedit, demonstratione, ut omnes ei assentiantur, eademque controversia in recenti quasi lite versata quidem, nentiquam autem penitus jam decisa sit: a scopo commentatio-uncular nostrae haud alferum puto, si quæ nobis hic vel vera, vel falsa esse videantur, paucis adhuc adferantur.

## §. 18.

Ante omnia vero, si lucis aliquid et claritatis huic liti conciliare velimus, statim in initio definiendum erit, quid de-  
mum intelligendum sit per religionis juramentum? utrum sci-  
licet 1) ejusmodi denotet promissionem juratam, qua jurans  
partim ad internam de hoc aut isto dogmate mentis persuasio-  
nem nunquam immutandam, sed fovendam potius semper et  
continuandam, partim ad constans animi propositum, ejus-  
modi dogmata cum annexa asseveratione, vera eadem esse at-  
que certa, aliis proponendi, contradicentes autem opiniones  
tanquam erroneas rejiciendi et detestandi, nullo tempore abji-  
ciendum, sed servandum potius et retinendum obstringitur;  
an 2) significet meram tantum de *presenti* solum vel mentis  
de hoc, aut isto dogmate persuasione, vel animi etiam de  
eiusmodi dogmate docendo contrarioque rejicieando, proposi-  
to, assertionem, jurejurando confirmatam; an denique 3) vel  
una cum eadem hac assertione, vel solum, promissionem in-  
mutat atque contineat, huic aut illi doctrinæ salutaris typo, nul-  
lo ad internam mentis persuasionem, forte immutatam, respe-  
ctu habito, eo usque conformiter docendi, quo usque jurans in  
eadem societate religiosa permanens sit, quæ hunc nec alium  
doctrinæ typum sequitur. Jam si in primo nunc significatu re-  
ligionis juramentum sumatur, nullus prouersus dubito, quin ejus-  
modi

2) *Opinio-*  
*nes religiosæ.*

modi religionis juramenta pro illicitis et aperte absonis haberi  
debeant; proptereaque utique concedendum etiam sit, nulli  
omnino coetui religioso talia juramenta aliis deferendi, jus  
competere atque potestatem. Cum enim, quod §. præc. jam  
monstratum est, internæ mentis persuasiones, pendentiaeque  
inde animi consilia eam habeant indolem, ut salva natura ho-  
minis rationali eadem semper retineri et in certos quosdam can-  
cellos quasi coerceri nec debeant, nec etiam possint: liquet  
sine dubio, nullum prorsus coetui cuidam sacro jus competere,  
obstringendi alios, ut ejusmodi quid in posterum praestent,  
quod in potestate sua nequitur situm est. At enim longe  
profecto aliter hæc lis terminanda erit, & secundum illum con-  
ceptum de juramento religionis tibi formaveris. Coetui enim  
sacro jus competere perfectum, religionis juramento, in hoc  
significatu accepto, alios ad profitendam veritatem cogendi  
quasi et impellendi, firmissimis sane evinci potest argumentis.  
Nonne enim opiniones religiosæ, una cum pendentibus inde  
animi consiliis et appetitis, ad cujusque hominis suum pro-  
prium pertinent? Nonne itaque plures homines, easdem pror-  
sus opiniones religiosas foventes, illas tanquam commune ali-  
quod proprium possident, atque adeo de servando hoc bono  
communi, de tuendo illo et ad posteros propagando inter se  
convenire, initoque pacto sociali, eundem in finem hoc vel  
illud de eo statuere et decernere possunt? Nonne idcirco dein-  
de secus sentientes aliasque opiniones religiosas propagare ten-  
tantes, cum hujusmodi hominum attentatis, in secura proprietate  
sui possessione revera turbentur et lacerantur, a docendi officio  
in coetu suo sacro, quovismodo licto, qui alteri nullam inju-  
riam assert, removendi facultatem habent et potestatem?

Annon

Annon porro hanc ipsam ob causam, ne, quod tanquam bonum commune spectatur, vel auferatur prorsus vel depravetur saltem et mutiletur, sollicite sibi cavendi jus societati ejusmodi religiosa concedendum erit? Nonne denique idcirco, si opus fuerit, ut ejusmodi coetus facer certis quibusdam suis societatis membris jus atque munus conferat, opiniones receptas docendi, explicandi, vindicandi et propagandi, eidem societati licitum quoque erit, ut membris illis, quibus \*) idem illud jus cum emolumentis quibusdam conferendum est, eum in finem, ut securitati communis boni, et tranquillitati societatis universae consulatur, ejusmodi juramentum deferat, quo praesens et mentis de opinionibus in ista societate receptis persuasio, et seria animi ad docendas illas, defendendas, commendandas et propagandas propensio solemni hoc ritu contestanda; insuper autem juranti vel implicite vel explicite promittendum quoque est, se mutata forte in posterum \*\*) interna mentis persuasione, pendenteque inde animi proposito, vel prorsus a munere administratione emolumentorumque \*\*\*) cum eadem conjunctum

F

ctorum

\*) Sub conditione nempe, si promissis suis fraterint.

\*\*) Potissimum in gravioribus doctrinæ capitibus.

\*\*\*) Si a continuata horum emolumentorum perceptione, quicunque olim in officio doctoris, nunc amissio, eadem accepit, non sponte desistat: jure a coetu sacro cogi potest, ut contra voluntatem suam id jam faciat. Cum enim quaelibet societas religiosa obligata sit, ut doctori suo pro studio et labore, pro ingenti, quam hujus officii legitima postulat administratio, operæ, temporis, immo pecuniae etiam et virium ipsarum impensa, certa quoque emolumenta, honoraria et

præro-

Etorum petitione et fruitione desitum, vel saltem non nisi totius coetus sacri consensu \*) in recepto doctrinæ typo quicquam immutaturum esse? Evidem sane non video, quid tandem illud sit, quod usum hujus potestatis vel ulli coetui sacro dubium aut illicitum prorsus reddere queat. Postulat enim in genere tantum ejusmodi quid, quod ad pacem internamque totius societatis tranquillitatem servandam necessarium est; eademque hæc postulatio in specie quoque ita est comparata, ut a futuro coetus cuiusdam sacri doctore, nec quæ physice forte aut moraliter illi impossibilia sint, nec tale quoque promissum exigat, quo conscientia ejus vinculis oneretur, et sentiendi docendive libertas penitus tollatur. Licet enim futurus coetus cuiusdam sacri doctor ejusmodi juramentum præstiterit, salvum tamen jus retinet, opiniones, antea receptas, mutandi deinceps et rejiciendi, aliasque, prioribus oppositas, libere assumendi, dummodo nullum, nova hæc, a stabilito doctrinæ typo aliena, dogmata in eodem coetu, qui typum illum sequitur, pro lubitu docendi jus, sine consensu hujus societatis temere sibi arroget; verum potius, si eundem hunc consensum obtinere nequeat, nec tamen eidem cum officio boni viri consistere

prærogativa tribuat: jus quoque sine dubio cuiilibet etiam coetui sacro competere debet perfectum, eos, qui pactum pristinum jam amplius non servant, sed contrarium potius agunt, atque adeo noxam potius, quam utilitatem huius societati adferunt, si aliter fieri nequeat, vi etiam cogendi, ut perceptionem emolumentorum, non amplius promeritorum, haud continentur. Unde etiam simul contra Mosen Mendelidem patet, coetui sacro jus aliquod circa sacra perfectum competere.

\* ) Sive tacitus ille sit, sive expressus, perinde est.

sistere posse videatur, ut receptas in ista societate opiniones, sine improbatione porro tradat, et novas, prioribus contraria, reticeat, aut defendere et propagare omittat, e coetu isto sacro egrediatur, et paclum olim initum debito modo solvat; quo quidem in casu, si non ubivis quidem, in multis tamen terrarum regionibus, omnia omnino prouulgare poterit et docere, quæcunque modo libuerint. Si denique de jurejurando, in tertio significatu sumto, queratur, utrum licitum illud sit, an illicitum: eadem fere ratione litem decidendam esse puto, qua antea id jamjam factum est. Quamvis enim lubenter largiar, coetus cuiusdam sacri a futuro doctore suo petitionem, ut juramento sancte promittat, se, sine respectu ad internam mentis suæ persuasionem habito, tamdiu tamen recepto cuidam doctrinæ salutaris typo conformiter docere velle, quoad in isto coetu permanens, doctorisque munere functurus sit, duriusculam esse et priori paulo acerbiorem \*): ta-

F 2

men

\*) Largior quoque, religionis juramenta, in se quidem, ad mala, in mundo obvia, referenda esse; sed mala tamen eadem minora et necessaria esse puto, quæ impedian mala majora. Nec quoque diffiteor, speciem habere, quæcunque de ulteriori opinionum receptarum emendatione, conceptumque vulgo familiarium illustratione necessaria, per religionis juramenta admodum impedita, plerumque hic objiciuntur. Sed ipsum tamen a nobis defensum coetus cuiuslibet sacri jus doctoribus suis religionis juramentum deferendi, neutquam objectione hac funditus destruitur. Quandocumque enim coetus sacer a futuro doctore suo vel hoc tantum, ut jurato promittat, se receptionum doctrinæ typum purum atque integrum, sine omni depravatione et mutilatione publice doctorum esse, postulat; nec omnem istam

men ingenue profiteor, nec coetum illum sacrum, qui ejusmodi religionis juramentum a futuro doctore suo petit, injuriam huic afferre, nec cunctos, qui, ut munere doctoris sacri ornentur, ejusmodi jusjurandum praestent, contra boni honestique viri officium agere mihi videri. Societas enim religiosa talia jurjuranda doctoribus suis deferens, neutquam eosdem cogit, ut paclum hoc officiale ineant, promissumque propterea juratum praestent, sed jus tantum illud indubium sibi sumit, pacto sponte inito, et promisso jurato, libere praesito, vel cogendi illos, ut paclum servent suisque stent promissis, vel pactum omnino solvendi, doctoremque, qui ipse paclum sociale, sponte initum, primum violavit, ab officio, emolumentorumque, inde pendentium, perceptione removendi. Neque doctoris sui conscientiam vinculo quodam injusto adstringit,

istam — quæ cuilibet opinionum sacrarum æque ac profanarum doctori, sine arctiori limitatione, merito relinquenda est, et a quolibet sane coetu sacro, qui saniora rationis principia sequitur, revera semper relinquitur — cum thesi, in doctrinæ systemate recepta, et antithesin proponendi libertatem nimis coeret aut prorsus aufert: ulterior ista opinionum emendatio conceptuumque illustratio nullum profecto ex jurato ejusmodi doctoris sacri promisso detrimentum capere potest; quippe eum concessa doctori libertate, antithesin quoque cum thesi proponendi, in se liberum doctori esse debet, recentissimas et validissimas contra receptas opiniones objectiones indicandi, et enarrandi; dummodo ea, quæ ejusmodi objectionibus recensionibus jure opponi queant, non dolose retineat, nec importuno prorsus tempore, aut solo novaturiendi pruritus ductus, præter omnem necessitatem et causam sufficientem controversias tractet,

stringit, ejusque sentiendi libertatem coeret penitus aut tollit; sed partim, pacto adhuc subsistente, impedit quidem, quo minus alia, præter receptas opiniones, cum harum indignatione aut refutatione in interiori coetus sui gremio, concioneque ejus publica doceantur, propagentur et commendentur; ipsam autem doctoris sui libertatem sentiendi et opinandi, quicquid libuerit, salvam illi relinquit atque illæsam, dummodo alienas suas opiniones vel omnino reticeat, vel aliis faltem non obrudat et publice commendet; partim etiam pacto \*) jam soluto, nec cogitandi secus et statuendi, nec docendi quoque et publice voce scriptisve dogmata, proflus a doctrinæ sua typico aliena, propagandi et tradendi libertatem ullo modo coercere vel fludet tantum, vel potestate etiam sufficiente vallet. Quod vero ad alteram asserti mei partem attinet, neutiquam omnes omnino, qui, munus doctoris sacri in se suscipiendo, ejusmodi religionis juramentum præstent, contra boni honestique viri officium peccare: lubenter quidem concedo, dari posse et concipi ejusmodi doctrina typos, quibus divulgandis, propagandis et commendandis, nemo, qui secus sentiat, sine gravi conscientiæ officiique, a viro bono explendi, lascione, juramento sese obstringere possit. Quodsi enim doctrinæ quidam typus graviores errores et talia dogmata contineret, qua generi humano proflus exitiosa essent, quibusque assumitis, ipsum religionis fundamentum rueret; futurus autem istius coetus sacri, qui talem typum sequitur, doctor pernicioſam

\*) Cujus liberam solvendi facultatem, quilibet profecto coetus sacer, saniorem de cogitandi conscientiæque libertate sententiam fovens, doctoribus suis semper relinquit, ejusque ad aliena sacra transitum nunquam impedit.

niosam hanc religiosi ejusmodi systematis indolem probe per-  
spiceret et abhorreret; utique contra viri boni officium pugna-  
ret, si nihil feciis jurejurando promitteret, se pestiferas illas  
opiniones contra meliorem conscientiam doctrinum et propaga-  
turum esse. Cum tamen non omnia opinionum religiosarum  
systemata pestilentibus ejusmodi erroribus scateant; sed dentur  
etiam doctrinæ salutaris typi, qui, licet omnia quidem illorum  
sumta veritati haud exacte convenient, leviores tamen et pa-  
rum noxios errores contineant: sane non video, cur esse ne-  
queant, munus doctoris sacri ambientes, qui sine conscientiæ  
officiorumque a viro bono et honesto servaudorum lastione  
ejusmodi juramenta religionis præstare possint. Quodsi enim  
doctoris sacri munus appetens doctrinæ typum, quo docendo  
et propagando, munere accepto, tenetur, antea probe exami-  
naverit; disquisitione autem ejus finita, distincte intellexerit,  
non ab omni quidem errore et præjudicata opinione illum im-  
munem prorsus esse et liberum; attamen errores, in illo con-  
tentos, vel parum noxios, vel suo etiam modo utiles esse, pro-  
movendæque animorum tranquillitati proficiens: me quidem  
judice, sine ulla officii, quod viro honesto incumbit, lastione  
ejusmodi religionis juramentum non præstare solum; sed \*)  
promissum suum juratum servare etiam poterit \*\*).

§. 19.

\*) Dummodo vera esse et certa, quæcumque falsa et erronea  
esse cognoverit, non expressis verbis vel ita doceat, ut ipse  
opinionibus a se rejectis assentire videatur; verum potius hi-  
storiam velut dogmatum proponendo, nude tantum et sim-  
pliciter narrat, hoc vel illud dogma in coetu isto sacro recep-  
tum esse, cuius doctrinæ salutaris typum docendi munus ac-  
cepit.

\*\*) Quodsi itaque opinionum religiosarum sistema, quod in 39  
Articulis fidei ecclesiæ Anglicanæ continetur, ab episcopis  
Angli-

Tertius abusum, qui jurando admittuntur, fons, in  
 neglecta iusta juramentorum forma latere videtur. Cum vero  
 ad formam juramentorum in genere non formula tantum ista,  
 qua partim assertio religiosa ipsa, partim quoque singula vel  
 assertorum vel promissorum momenta exprimuntur; sed om-  
 nis etiam hujusmodi actus religiosi dispositio et solennitas per-  
 tineat: haud sane mirandum amplius erit, frequentes adeo  
 juramentorum abusus hodiernum inveniri; simulac nimis  
 evinci poterit, utrumque illud ad juramentorum formam rela-  
 tum, vitiosum sapientia et scopo obtinendo parum adaptatum  
 esse. Quis vero negare sustineat, tristi, proh dolor! experi-  
 entia acerbam hanc querelam facile admodum probari posse?  
 Quamvis enim prior illa formæ juramentis tribuendæ pars, tum  
 demum iusta legitimaque esset, si partim verba asseverationis  
 religiosæ ipsius plana et perspicua forent, genuinumque juris-  
 jurandi sensum, sine ambiguitate ulla exprimerent, partim  
 quoque formula, qua singula asserti aut promissi jurati mo-  
 menta indicantur, distincte satis justaque cum determinatione,  
 limitatione et restrictione concinnata et significata fuerit:  
 utrumque tamen juramentorum formæ frequentius sane deest,  
 quam vulgo creditur. An enim consueta assertionis religiosæ  
 formulæ, v. c. ita me Deus adjuvet! Sic faciet Dominus! cet.

plenum

Anglicanis pro ejusmodi doctrinæ salutaris typo habetur, qui  
 quidem non ex omni parte verus, sed in se tamen non noxious,  
 verum proficuum potius et utilis sit: perperam Moses Mendeli-  
 des statuit, summos hosce viros ad hunc doctrinae typum do-  
 cendum vel jurejurando vel subscriptione tantum se se obstrin-  
 gendo, in perjurii suspitionem venire. Vid. Ill. J. D. Micha-  
 elis Orientalische und Exegetische Bibliothek, XXter Theil,

plenum jam et omnino distinctum religiosæ assertionis sensum exprimit? Annon obscuro plerumque, vago et indeterminato dicendi genere expressa sunt, quæcunque jurejurando suo vel assérere vel promittere jurans tenetur? Et aumae propterea aliud quid, quam plures juramentorum abusus exspectari possunt; cum homines jurantes ipsi, ut plurimum, non intelligent, quæcunque juraverint. Ad posteriorem formam juramentorum debitæ partem quod attinet, legitima quidem eadem esset, dignitatique ejusmodi actus religiosi conveniens, si non nisi cum festa quadam solennitate, et prævia semper iusta animorum jurantium, ad ritum huncce sacrum decenter celebrandum, præparatione, a personis sacris, non solidiori tantum doctrinæ salutaris cognitione, sed habitu etiam sufficiente, quicquid religio vel jubeat vel vetet severius inculcandi instruetis, facta, jurisjurandi actus institueretur. Sed quando et ubi ejusmodi severa gravitas aut decorum religiosum in ritus hujus sacri celebratione apparet? Nonne potius plurima juramenta sine ulla prorsus solennitate, prater ea, quæ in digitorum erectione, cuius tamen ceremonia sensum plerique ignorant, consistit, et, quod longe turpius est, sine ulla Numinis reverentia, levissimo prorsus animo, præstantur? Nonne tantum abest, ut debita semper animi jurantis, per personam sacram, præparatio requiratur, ut potius in judiciis nostris civilibus animis nonnullis venalibus impune permittatur, ut vel decies, quin centes etiam, si fieri posset, in brevi unius horæ spatio jurent aut pejerent? An itaque aliud quid ex forma juramentorum adeo deformi oriri potest, quam gravissimi et turpissimi ritus hujus religiosi abusus?

§. 20.

Ultimus tandem, isque prioribus haud sane minus irriguis abusum, jurando admissorum, fons in multitudine juramentorum nostra ætate præter necessitatem profecto aucta, deprehenditur. Licet enim insignis quedam sanctimonia jurijurando non juxta communem hominum opinionem tribuatur tantum, sed vere etiam infit; prætereaque, ut major eaque debita huius actui reverentia vel conciliet primum, vel servetur porro, perraro tantum, et non nisi tum demum ad jurandum homines admittendi essent, cum alia ad veritatis evictionem via non amplius pateret: nihil tamen certius evidenterque esse puto, quam justo sepius juramenta adhiberi, et passim, præcipue tamen in civitatibus majoribus omnibusque fere locis, ubi dicasteria judiciale publica habentur, evenire, ut vel una diei hora ceteratim homines ad jurandum accedant; nec paœla tantum rariora, assertaque graviora, sed vulgaria etiam et quotidiana jurejurando confirmentur, quæ alii quoque ratione, severiori scilicet poena, partim nudo falsiloquio, partim promissio non servato, constituta, debitum valorem, necessariamque fidem longe sane melius faciliusque obtinere possent. Cum vero, quæ crebro eveniant et perficiantur, in consuetudinem tandem abeant; consuetæ autem res, licet in se dignitatem prestantiamque habent eximiā, celerrime tamen vilescente soleant: fieri sane aliter nequit, quam ut frequenti nimis jurisjurandi usu, ejus quoque reverentia atque sanctitas apud multis non parum exolescat. Quid vero inde aliud, quam turpis et multifarius jurisjurandi abusus fluere potest?

Enimvero omnes omnino abusuum fontes huc usque indicatos nosse, quid tandem prodesset, nisi abusus ipsos cognoscamus, serisque multiplicis sane et gravissimi damni, ex eodem hoc perverso juramentorum usu nascentis, meditatione commoti, de optima simul ratione dispicere incipiamus, qua noxi ejusmodi abusus vel tolli prorsus vel coerceri saltem queant? Quamobrem in fine hujus commentationis nostræ partim de abusibus ipsis, partim de ingenti noxa, quam jurisjurandi abusus adferant, partim denique de via quoque optima, qua avertire illam liceat, pauula adhuc tradenda sunt et adjicienda. Abusus itaque juramentorum ipsos quod attinet, ad tria potissimum genera commode illi reduci possunt. Primum est, cum impio prorsus et irreligioso animo homines ad falso pro vero venditandum jurant, siveque vel internam mentis persuasionem, vel verum animi propositum scientes volentesque men-

δ) In multitudine juramentorum.

b) Abusus  
ipſi.

tiendo, scientes etiam volentesque turpissimum illud crimen committunt, quod perjurii nomine plerumque venire solet. Secundum abusum genus habetur, cum homines perjurare quidem nolunt, sed circumvenire tamen alios jurejurando cupiunt, propterea que astutas cavillationes occultasque mentis reservatio[n]es adhibendo, aliisque quo dolo[rum] prorsus modo fucum faciendo, jurisjurandi verba in longe alium sensum detorquent, quam alii, quibus juratur, iis tribuant. Tertium denique abusum genus tum dari statuo, cum neque impio quidem isto, nec callido hoc consilio, sed prorsus tamen levi animo, et nullo ad ritus hujus religiosi sanctimoniam respectu habito, eum tantum in finem nonnunquam homines jurant, ut itidem perficiant, quicquid mos receptaque dudum consuetudo secum fert atque flagitat.

## §. 22.

- c) *Mala in-de oriunda.*  
a) *Mala ipsa.*

Mala ex perverso jurisjurandi usu nascentia, itidem non unius ejusdemque generis sunt; sed alia ejusmodi sunt, quae hominem ipsum, hunc vel istum abusum in se admittentem, afficiunt, alia vero, quae alios attingunt societatemque humanam omnem concernunt. Ad priorem illorum classem merito primum irreligiositas ipsa est referenda, quae quantum hominis malum sit, suffusus definire profecto non opus est. Oriri vero eandem, si non semper quidem, saltem tamen plerumque, ex jurisjurandi abusu, facile intelligitur, dummodo perpendatur, juramenta esse actus religiosos, propterea que abutentem iisdem religioso quoque ritu abuti; ex rituum autem religiosorum abusu plerumque irreligiositatem plenariam sequi. Cujus quidem asserti nostri veritatem permulta etiam irreligiositatis exempla, non nisi ex abuso juramentorum orta, sufficienter sane, si opus esset, confirmarent. Aliud detrimentum, quod homini juranti ipsi perversus hujus ritus sacri usus adfert, in eo consistit, quod fide eum bonaqua apud alios fama atque aestimatione privet. An enim ei, qui vel in Numinis quasi faciem mentiri non erubescit, vel in re maxime seria ludere et jocari, aut religionis ipsius ope alias fucum facere sustinet, an inquam ejusmodi homini, nisi emendetur forte, vel unquam fides habenda, bonaqua apud alios fama atque aestimatio illi expectanda erit? Fama vero fideque amissa, utrum optatum rerum suarum successum videre, vitamque vere felicem agere cuidam licet, an vero minus: id ex misera profecto eorum conditione, qui jacturam hanc fere irreparabilem semel fecerunt, liqueat satis et quam optime intelligitur. Tertium denique malum, quod perverso modo jurans fibimet ipsi parat, in aliorum depravatione, turpi suo ipsius exemplo facta, consistit. Cum enim maximam exemplorum vim in aliorum mores et univerfam vivendi non minus,

minus, quam cogitandi rationem esse, inter omnes constet: quilibet sane jurejurando abutens, malo hoc exemplo suo, alios etiam ad similem usum juramentorum perversum facile seducere potest, sique ipsemet depravatam ejusmodi conditionem et turpem profus pestiferumque habitum in aliis producere, quo regnante, ipse nec de assertorun alterius veritate, nec de promissionum ejus sinceritate, licet plenaria certitudine quam maxime opus illi fuerit, unquam certo persuaderi poterit. Posterioris vero illud malorum genus, ad alios quoque homines sese extendens quod attinet: duo potissimum sunt, perfidia nempe et irreligiositas, quae illuc referenda esse puto. Frequentes enim juramentorum abusus, utrumque hoc societati humanae adeo perniciosum consecutarium semper secum conjunctum habere, non ex antea jamjam dictis solum, sed inde etiam apparet, quod experientia partim de ingenti vi, quae in malis exemplis ad pravandos alios inest, partim quoque de perfidia et irreligiositate in iis praecipue locis, ubi juramentis homines ludunt, regnante, abunde satis testatur. Utrumque vero mali genus societati humanae proflus exitiosum esse, quis est, qui dubitet? Fide enim sublata fundamentum societatis humanae ipsum labefactatur, et religione exfulante omni, rapinæ profecto, caedes, bella, seditiones, ruinæ oppido aderant; nullius vita amplius salva, nulla opum passatio vel ad momentum secura; non hospes ab hospite, non socer a genere tutus, et fratrū quoque gratia rarissima profus erit.

## §. 23.


Tot igitur tantorumque malorum impetu, qui rerum publicarum felicitati omni et securitati ruinam minatur, ut animo confidenti obijam ire fortiterque resistere queamus, in genere quidem fingi, ostendique nequit via quedam melior ea, quae in sedula posteriorum istorum fontium obstructione consitit, ex quibus plurimos juramentorum abusus flere ante monstrarivimus. His enim nocivorum effectuum causis sublati, ipsi quoque effectus perniciosi simul auferentur. Quodsi vero ad ejusmodi norbum, rebus publicis adeo pestiferum, felicius celerisque sanandum, specialiora quoque consilia desiderentur, sequentes, si placet, regulæ offeruntur: 1) Cum, quae raro eveniunt, sanctiora plerumque et praestantiora habeantur: nimia juramentorum multitudo imminuat; potissimum vero ista juratoranda abrogentur, quae vel superflua proflus, vel temeraria saltē sunt, cum vel physice vel moraliter impossibile sit, ut serventur etiam, quae jurejurando promissa sunt. 2) Non formula solum juratoria ipsa, sed singula etiam momenta, quae jurejurando vel afferenda vel promittenda sunt, distincte satis verbis-

*β) Consilia  
quædam ad  
tollenda ea-  
dem aut im-  
minuenda  
saltē, haud  
incommoda*

verbisque perspicuis semper et rite determinatis exprimantur. 3) Sapientiae virtutisque doctores non in genere tantum obligentur, ut quavis sibi data occasione naturam sanctitatemque juramentorum perspicue explicent, vulgique de ritu hoc religioso conceptus, maneo admodum et superstitionis saepe, emendare et corrigerem studeant; sed semper quoque ad preparandas jurantium mentes sensusque religionis aciores in animis illorum excitando advocentur. 4) Majori cum solennitate et conspicua facile tam eorum, qui juramenta deferunt, quam aliorum quoque hominum, qui ejusmodi actus testes tantum aut spectatores sunt, erga Numen Supremum reverenter ritus hic religiosus celebretur. 5) Magistratus severiori et graviori poena, sine omni personarum respectu decreta, non in perjuros solum, sed in cunctos quoque animadvertis, qui alios quoque jurisjurandi abusus admittunt. Ac id quidem, ut eo melius perfici queat, 6) denique principes in quavis republica, primores populi, et omnes, quorum officii ratio jam postulat, ut praeципui bono exemplo aliis praecant, sollicitate sibi caveant, ne ipsi simet unquam juramento abutantur; et si forte juraverint, sacramenti fideia sancte semper et sincere servent. Hæc jam sufficient. Nec enim nobis, pro praesentis instituti et temporis ratione, licet esse prolixioribus.







VD  
18

ULB Halle  
002 713 802



3

SL,



B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White

Magenta  
Red  
Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

DE  
RE JUR AND O.

SERTATIO PHILOSOPHICA,

QUAM

PRAESIDE

CHAROLO GOTTLIEB  
STRAUSSIO

PHIL. P. P. ORD. ET MAGNIF. SEN. BIBLIOTH.

XIX. M. AUG. A. R. S. MDCCCLXXXIV

CONTRA ADVERSARIOS

JEM GOTTLIEB EHWALT, GED. S. L. C.

GODOFREDUM KLEEFELD, GED. S. L. C.

M CHRISTIANUM SCHMIDT, GED. I. U. C.

IN

DITORIO MAXIMO

PUBLICE DEFENDET

N ERNESTUS SCHMIDT, GED. I. U. C.

PENDII FISCHERO-FERBERIANI ALUMNUS.

GEDANI,

IS DAN. LUDOV. WEDEL, MAGNIF. SENATUS

ET ATHENAEI TYPOGRAPHI.